



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Fasciculus Quintus

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1724

urn:nbn:de:gbv:46:1-5839

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Septimae

FASCICULUS QUINTUS.



BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXXIV.

VIRO

*Summe reverendo, &
amplissimo*

JOANNI ER-
NESTO AN-
DREAE,

S. Theologiae Doctori,
& in aula Regia BORUS-
SIACA oraculorum divi-
norum Dispensatori
castissimo,

*Sanctimoniae & eruditionis studium
felicissima copula conjun-
genti,*

suo olim in Academia *Marpur-*
gensi Praeceptoris solertissimo,
nunc Amico atque symmystae
valde honorando.

Primum

*Primum hunc supra quadrage-
simum*

BIBLIOTHECAE

H V J V S

FASCICVLVM,

Animum testaturus pieta-
tis plenissimum,

ejusque ex opulento, quem possi-
det, cimeliorum literariorum

thesauro liberales suppetias sibi
expetiturus

non sine ingenuo solidae ac perenna-
turae prosperitatis voto

D. D. D.

EDITOR.

In

In hoc fasce comparent.

- I. Jacobi HASAEI de Judaicae terrae depopulationibus per *Gazam, Arbe, Jelek, & Chasil* ad *Joelis* I: 4. II: 25. Diff. p. 773.
- II. Jo. G. MICHAELIS in parabolam de *Pharisaeo & publicano* ad *Luc. XVIII: 9-14.* Comment. pars altera. p. 824.
- III. Jo. STENGELII de *Junipero* biblica ad illustranda tria Scripturae loca *I. Reg. XIX: 4, 5. Job. XXX: 4. Pl. CXX: 4.* Observ. p. 856.
- IV. A. ALBERTHOMA *Cogitationes* ad *Num. X: 13-28.* p. 872.
- V. Jo. Christ. HARENBERGII *Commentatio* de definiendo conscriptae secundae ad *Corinthios* epistolae anno p. 886.
- VI. *Vita Henrici HULSII* p. 897.
- VII. *Theodori HASAEI* de *JODUTHA* *λεπτομενα* p. 906.
- VIII. *Irenaei BIBLIOPHILI* observationum triga p. 929.
- IX. Petri von SARN de *Nomine novo* ad *Ec. LXII: 2. LXV: 15. & Apoc II: 27.* *Cogitationes* pag. 940.
- X. WILHELMI VI. Landgravii *Hassiae* ad *Regem Sueciae* de *mutatione religionis* in quibusdam vicis *Ducatus Bremensis* instituta *Epist.* p. 948.
- XI. *Epigrammata* bina p. 952.



Quod bene feliciterque eveniat!

I.

JACOBI HASAEI
De *JVDAICAE TER-*
RAE DEPOPULATIO-
NIBUS

per

GAZAM, ARBE, JELEK &
C H A S I L,

ad Vaticinii *Joëlis* I. 4. II. 25,
illustrationem, Graecaeque *Alexan-*
drinorum interpretum versio-
nis patrocinium,

DISSERTATIO.

A R G U M E N T U M.

Bochartianae sententiae *per gazam* &c. indicari qua-
tuor diversa *locustarum* genera, adversae sunt *veterum*
Class. VII, Fasc. V, D d d &c

& praecipue *Alexandrinorum* versiones. §. 1. quibus רוע est *καμψη eruca*, hinc & latinis *campi* dicta. Vocis *κάμψης* origo & cur *erucae* data. He-
 fychii emendatio comprobata. Quid *ἰπποκαμ-
 παί*? *εὐλή vermis*. ἰωω & βυ in composi-
 tione sensum intendunt. §. 2. tum רוע *ἑρυσίβη*
rubigo, morbus *segetum*. Docetur quid hoc morbi
 sit, ejusque *causa* indicatur, & differentia, *παχνη*.
 §. 3. *Graecorum* versionem, si defendi potest;
 omni studio defendendam esse rectissime *Bocharto*
 monenti adsurgitur. §. 4. Inquiritur igitur (A)
 studio in objectiones quas contra *Graecorum* in-
 terpretationem movit vir summus & quidem (1)
 ex notione harum *vocum* petitas. Argum. pri-
 mum ex notione vocis רוע . Amos IV: 9. lux.
Erucarum in rodendis arboribus vis. De radice vo-
 cis רוע & etymo *erucae*. רנן . §. 5. Argum.
 secundum, quod est *Drusii*, ex notione רוע
 petitum, notio *absumentis*, quam רוע habet, &
rubigini adposita est, variis in linguis. §. 6. Hinc
 רוע cum *locustas* denotet, tum *rubiginem*, utris-
 que rebus *consumentibus*. Et 1. Reg. VIII: 37. com-
 mode ἑρυσίβη reddita vox, *Alialoca*, ubi occur-
 rit, excussa. Num item & Psalm 78: 46. recte
 ἑρυσίβη vertatur? ratio *diversae* explicationis hu-
 jus vocis apud *Græcos*. §. 7. Ad argum. tertium
 a *consensu* aliorum interpretum petitum, responde-
 tur. Quantum *Judeis* fidei adhibendum in expli-
 catione *difficilium* locorum S. Codicis. Explicatio
 vocis רוע in *Targum* illustrata. §. 8. Docetur
 aliis exemplis saepe recedendum esse a *Judeorum*
 interpretationibus, ut Psalm: 78: 47. praecipue Deut.
 XXVIII: 42. expenditur, ubi רוע aequae esse
 ἑρυσίβη ex *Græca* versione defenditur. ἑρυσίβη
 & *rubiginis* etymon: item *robi* & *rubi*. *Rubigo* her-
 bas

bas torret, חֲבֵלֵי hic est רִבְבֵי radice. §. 9. Argumenta (11) ex rebus ipsis & serie orationis depromta, discutiuntur, Argum. primum, hic denotari quatuor animalia, tollitur. §. 10. item Arg. secundum; quod verbum אָכַל parum conveniat rubigini. אָכַל , ε'δ'ειν, comedere, edere, de igne & siccitate solis sæpe occurrit. §. 11. Argum. tertium. Uti Levit. XI: 22. sic & hic necesse esse quo pariter quatuor agnoscamus animalia. Ostenditur ratio discrepantia utriusque loci, §. 12. Depromuntur (13) pro vindicanda Græca versione rationes. Argum. primum, quod secundum eam hæc quatuor plagæ naturaliter se invicem excipiant, alteraque alterius, ut vult propheta, devastet reliquias. Textus quinque positionibus illustratus. Excipientes se naturaliter plagæ in Aegyptiacis ex Exod. IX. & X. illustrantur. §. 13. Docetur qua ratione (a) erucarum locum occupent (b) locustæ, hæc (c) קָדֵשׁ animal horridum & pestilentius לִבְ אֲרָבִים . §. 14. (d) rubigo omnes adultis frugibus & æstate matura, excipiat. Joël. II: 3. lux. Quæ sit summa calamitas rubiginis docetur. §. 15. occurritur objectioni ex Joël. II: 25. depromendæ. שָׁנָה , annus, ε'φ'ενθ' pro proventu. §. 16. Argum. secundum, quod omnia in reliquo Joëlis textu malo rubiginis adposita sint, rubigo & arboribus noxia. Deut. 28: 42. Græca versio illustrata. ξύλον & lignum pro arbore γεννημα pro proventu segetum & καρποῖς arborum Joëlis Cap. I. passim illustratum. §. 17, 18. Argum. tertium, non pati sequentia apud prophetam, quo rubiginem ex numero harum excludas plagarum. Diferte hoc malum & igni & flamma tribuitur. Joël. II: 3. denuo explicatur. §. 19. Versiones vernaculæ examinatæ, quid sit Geschmeiß & Mehlthau . §. 20. Concluditur observ. in locum Hoseæ V: 7. ostenditurque qui שָׁנָה per ε'ε'νθ'β'ην æquered.

diderint Alexandrini; de confusione litter. 7 & 7
 in S. Codice. De significationibus vocis חרש, &
 quomodo ε'ρωςίβη appositæ. item de חרם, חרץ,
 & חרוץ signif. origine. S. 21.

§. 1.

Quatuor species rerum, quas Judæam
 depopulaturas vaticinatur JOEL
 Cap. I: 4. II: 25. quatuor diversa
 locustarum genera indicare censet
 ὁ πᾶν Bochartus L. IV: Hieroz.
 Cap. IV. & V. qui cum p. 466. id sibi esse
 persuasissimum scribat, haud erit cur miremur,
 eundem & nomina, quae S. Codex *locustis* tri-
 buit, explicantem, Cap. I. ejusdem libri, &
 inter ea חרש gazam locum concedere num.
 2. maxime, quod & eandem vocem esse *locu-*
stis privam contendat. P. I. L. I: Cap. IX. p.
 66. Confer eundem in hujus sententiae pa-
 trocinium varia notantem P. II. L. IV: Cap.
 I. p. 446. & L. IV. Cap. VI. pag. 484. &
 passim in hoc libro. Hujus autoritas, ut fie-
 ri solet, plurimos in ad sensum pertraxit, &
 inter ceteros quoque ejus locum dedisse ra-
 tionibus vidi piae memoriae parentem meum
 CORNELIUM HASAEUM in diss. I. in *Pro-*
phetiam Joëlis §. 10. Sed dubia oratio viri, plus
 judicio tribuentis in scribendo quam ingenio
 & industriae, fidem facit; sibi argumentis
 Bocharti adeo haud factum fuisse satis, quin
 am-

ambigui plurimum hac in re ipsi fuerit residui etiamnum, quamvis in eo plane Bocharto sit ὁμοψύφου, quod VIVA saltem *quatuor* hic denotari ANIMALIA putet. Attamen cum aequae veterimam Graecorum, quae *Alexandriae* concinnata est, ac *Latinorum*, vocibus ρῆι & ἑρῆι adversam cernimus explicationem, illam per κάμπην *erucam*, hanc ἑρυσίθην hoc est *rubiginem* explicantium: operae opinor pretium nos acturos, si dispiciamus sedulo, utrum in hac causa standum sit *vetustissimarum* fide *interpretationum*, an vero *Bocharti* summo foret ad surgendum ingenio, rationibusque in contrariam productis aciem. Prius autem graecas Alexandrinorum explicasse voces pauculum juvabit, quam ipsam causae arcem adgredimur.

§. 2. Graecis κάμπην esse id genus animalculi quod Latium *erucam* vocavit, non modo vetus interpres Latinus Graecos sequens, heic loci atque Amos IV: 9. erudit, Graecam ita transferens vocem, sed & ex veterum Glossis Graeco-latinis id abunde constat, iisdem κάμπην per *urucam* vel *uricam*, hoc est, *erucam* explicantibus. At, quoniam κάμπη vocis origine, *flexum*: hinc *erucam* latinorum non quamvis κάμπην, seu *flexum* indicare *animal*, sed κάμπην λαχάνης *olerum*, eadem observant glossae. A κάμπην enim *erucae* esse nomen κάμπης datum, quia rependo toties corpus *inflectit*, docebit altera vocis significatio, qua

eadem de causa *Delphines* vocantur κάμποι, quibus æque corpus flectile natura dedit. Quin ipsam vocem *Campe* pro *eruca* veteri Latio ex Græcia illatam fuisse, docent *Loca Plauti & Columelle* quæ *Martinius* animadvertit. Sed κάμπος esse *erucas* nemo dilucidius docet *Columella* L. XI. Cap. 3. *Animalia*, inquit, quæ a nobis (Latinis) appellantur ERUCÆ, Græce autem κάμποι nominantur, vel manu colligi debent &c. Sic & *Hesychius* per ἵπποκάμπην videtur intellexisse magnam *erucam* aut *scolopendram* aliamve se varie flectentē vermem insignis magnitudinis. Corruptissimus ita legitur locus. ἵπποκαμπὰς ὕλην λίαν μεγάλην hoc est denotare eam vocem, valde magnam sylvam. Sed qui κάμπη sit ὕλη sylvæ non video. Quocirca adquiesco in emendatione *Martinii* qui in *Hippocampus* ὕλην mutat in εὐλήν, vermem denotans vocabulum. Idem *Hesychius* εὐλαῖς explicat σκώληκας vermes, εὐλαῖν, σκωλήκων eisdemque εὐλαῖ sunt ἐν τοῖς τραύμασι γινόμενοι σκώληκες vermes, qui in putridis succrescunt vulneribus. Vocem præterea κάμπη cum εὐλή optime convenire nemo negabit qui *erucas* esse vermium genus sciverit. ἵππος equus autem in compositione intendit significationem magnumque aliquid exhibet ut ex ἵππομανία, ἵπποκένταυρος aliisque vocibus discimus, his insignem *vesaniam*, magnumque *centaurum* indicantibus. Idem accidit voci βῶς bos ut ex βοώπις

πι, Βελιμία, Βυκέφαλ⚔ aliisque evincitur.
 Ἰπποκαμπαί itaque essent magni vermes.

§. 3. Ερυσίβη est morbi genus, quo ex nimia siccitate arborum folia floresque & segetes præcipue aduruntur, ut omnis fructus inde speratus calfactu solis pereat. Hesychius: ἐρυσίβη, νόσ⚔ τίς ἀέρ⚔ ἐπιγιννομένη τοῖς φυτοῖς καὶ καρποῖς h. e. Ερυσίβη est morbus aëris (aut siccitatis) qui supervenit plantis & fructibus, Latinis *Rubigo* dicitur. Glossæ ἐρυσίβη, rubigo. Oriri autem ex nimio calore solis Plutarchus docet de primo frigido, ejus esse causam memorans ἡλίος περιφλεγείς ἐπ' ὄμβρω intensissimos soles excipientes pluviam. Hinc & Robigalia sacra ad placandam deam Robiginem habebantur æstate & canicula occidente, ne sol nimia adustione segetibus infestus sit, qua de re illustrissimi principis Caroli Neapolis annotationes evolvantur in *Anaptyxide* ad *Fastos* Ovidii p. 206. sqq. Causam quippe horum robigalium Ovidius nimiam perniciem esse tradit, quæ segetibus ex hac solis adustione accedit. v. 910. L. IV. *Fastorum*.

Nec venti tantum CEREBRI (segetibus) nocere, nec imbres

Nec sic marmoreo pallet adusta gelu,

Quantum si culmos TITAN INCALFACIT udos, &c.

Et dein originem referens, cur in robigalibus DEæ robigini mactetur canis, addit v. 932.

Est CANIS (Icarium dicunt) quo SIDERE
moto

TOSTA SITIT TELLUS, praeipitur-
que SEGES,

Pro Cane Sidereo Canis hic imponitur arae,
Et, quare fiat, nil nisi nomen habet.

Quid autem proprie morbi sit ἐρυσίβη quod
adeo infestum segetibus esse ajunt, Scholia-
stes Græcus ad priorem Joëlis locum indicat
& ad Psalm: LXXVII: 46. (Hebr. 78: 47.)
ἐρυσίβην explicans per κενιορτώνη φθορὰν σίλης
pulverulentam segetum corruptionem, ubi indica-
re ὄρεον, rorem hac definitione videtur. Nam
κόβη, ut de omnire accipitur quæ pulveri simili
& minuta est, explicante Hesychio; ita &
de rore & pruina dicitur. Hinc alius Scholia-
stes ad locum Psalmi; Ἐρυσίβη ἐστὶ κατὰ τὸν
Ἡρωδιανὸν τὸ ἐπικαθίζον τῶν καρπῶν παχυνῶδες καὶ
ἀγὰ φθορὰν αὐτῶν. Rubigo est juxta Herodia-
num PRUINOSUM illud quod fructibus insidet
eosque corrumpit. Et recte quidem, cum ἐρυ-
σίβη non sit ipsa πάχυν, seu pruina, verum ali-
quid παχυνῶδες pruinae simile seu ros ille qui æsta-
te adeo segetes adurit, nobisque vernaculo
nomine Mehl-Ἐχαι audit ut §. 20. videbitur.
Quippe ἐρυσίβην diversum quid esse à πάχυν
docet illustris ille Psalmi locus ubi ἵστην pari-
ter v. 47. per ἐρυσίβην extulerunt Græci, at
v. 47. ἵστην chanamal per πάχυνν pruinae.
Apertius vero causam quam rubiginis tribue-
rint

rint *origini* veteres, exhibet Plinius L. XVIII: Hist. Nat. Cap. 28. Plerique dixere, ait, RO-REM INUSTUM SOLE ACRI (hoe est illud *παραυωδες* in segetibus,) frugibus RUBIGINIS esse CAUSAM, & Carbunculi vitibus. Et Theophrastus cum eum in modum *ἑρυσίβη* definit L. IV. Hist. Plant. Cap. 15. *ἑρυσίβη σῆψις ἐστὶ τὰ ἐφισαμένεα ἰγερὰ* esse corruptionem a residente in culmis humore, dum segetibus matutino rore udis, magni dein soles superaccendant. Rubigo itaque est ipsa *uredo* seu *exustio* segetum ob *fervorem* nimium solis. At causa ejus Ros *inustus* sole acri segetibus. (a) Aequae

Ddd 5 au-

(a) Inde est quod non modo acriori soli, *Robiginis* causae, verum & *pruinæ* ejusque causae *frigori* saepissime tribuatur *adustio*. Imo *pruinæ* etymon a *perurendo* Festum deduxisse videas. *Pruina dicta*, inquit, quod *fruges* & *virgulta* PERURAT. Saepius in ea ludit metaphora Ovidius L. III. Trist. El. IV. v. 49.

Me tenet adstricta terra PERVSTA GELV.
L. V; Trist. El. 2. v. 66.

Glebaque carenti semper OBUSTA GELV.
In memoratis verbis L. IV. Fast. v. 911. utriusque *Solis* & *frigoris* adustionis mentio & quidem ex comparatione,

Nec sic Marmoreo pallet (terra) ADVSTA GELV,

Quantum siculmos TITAN incalfacit udos.

Tit & apud Virgil. I. Georg. v. 92.

Ne

autem ἐρυσίβη atque πύχνη fructus segetes-
que perdit. Pollux hinc L. I. Cap. VI.
agens de anni sterilitate has jungit §. 53. ἐδί-
ψησαν οἱ καρποὶ ἢ ΕΡΥΣΙΒΗ τὰς καρπὸς κατέλα-
βεν, ἢ ΠΑΧΝΗ, ἢ Δεφθόρα. fructus siti labora-
runt, RVBIGO fruges invasit, aut PRVINA,
aut calamitas.

§. 4. Explicata mente vocibusque, qui-
bus usi vetustissimi omnium interpretes Græ-
ci: expendamus utrum his stare possimus, an
vero exigendæ illæ sint prius. Neque quid-
piam in hac causa nos agere posse tempesti-
vius autumo, ac ut principio quantum his in-
terpretibus tribuendum sit, ipsius Bocharti,
quem doctissimum tamen heic loci opponen-
tem nacti sunt Græci, verbis pernoscamus.
Ita

*Ne tenues pluviae rapidique potentia SOLIS
Acrior, aut Boreae penetrabile FRIGVS ADV-
RAT,*

Ubi Servius; Adurat & ad solem & ad frigus pertinet:
nam uno sermone duo diversa conclusit, quae ta-
men unum effectum habent. Quin & Sidonius
ignem tribuit frigori Carm. V: v. 528.

*Quondam mihi corpus ADUSTUM
Frigoris IGNE perit*

Sic & orationis profae scriptores Tacit. XIII.
Ann. c. 35. AMBUSTI multorum artus vi FRIGO-
RIS exanimati sunt. Cicer. II. Tusc. c. 17. Pernoctant
venatores in NIVĒ, in montibus se URĪ patiuntur. Et
Plinius L. III. c. 20. PRAEVST A intra sinus Alpium
NIVĒ membra commemorat. Confer Taubmanni
notas ad locum Virgilii. T. d. H.

Ita loquitur δ πάλιν P. 2. Hieroz. L. II: Cap. 31. p. 345. *In ea sum sententia, inquit, ex multis interpretationibus praeferendam esse ANTIQUISSIMAM, nisi causa sint GRAVISSIMAE cur ab ea recedamus.* Quod semet hoc opere ostendisse docet in Præt. p. 62. *Quin ceteris paribus, ait, VETERES scripturae interpretes (ut sane Graeci sunt vetustissimi omnium) sicubi consentiant, novis PRÆFERO, & ab iis RARO recedo, nisi MAGNAE CAUSAE subsint. Proinde cum veterum versiones DEFENDI possent, nulum lapidem non moveo, ut eorum interpretamenta asseram. &c.* Et haec quidem adeo recte & sapienter monuit vir summus, ut perpetuae ad instar Cynosurae SS. Litt. interpretationi studentibus, nunquam satis ob oculos versari possint. Vetustissimis enim interpretibus, & in his Graecis praecipue, linguam Hebraeam ejusque arcana propius patuisse, iis vernaculam, ac nobis, tot temporum intercapedine ab iis sejunctis, ac extra communem ejus usum positis, ambigendi locus haud ullus relictus est. Quod si igitur ab iis segregare esse cupimus, necesse est quo vel (1) aliquid in nominibus Hebraicis lateat, vel (2) in ipsis rebus nexuque orationis, quod veteribus interpretamentis adversum esse, doceamus. Aliter si fiat, se ab ipsa veritate deflectere & ab ipsa sacrorum virorum mente, alienos fieri, certissime viri SS. litt. studiosi, persuasi sunt. Utrumque cum Boehartus in hac causa ostendere annis

sus

sus est, debita cura trutinandum erit num
 ejus objectiones tanti sint, ut causam vete-
 rum interpretum deserendam esse persuade-
 ant. Ceteroquin, si *causas* ejus, cur ab his
 recesserit, haud *gravissimas* esse agnoverimus,
 nec magnas subesse: ignoscent facile viri
 summi manes, quod *cum veterum versiones de-*
fendi posse videam, *nullum non lapidem moveam,*
ut eorum interpretamenta asseram, ipso in hac caus-
 sa & iudice sedente atque arbitro, nosque, ut
 pari iudicio decernamus, proprio instituentis
 exemplo.

§. 5. Ratione vocum objicit (I) \square esse
 ipsam radicem quæ *abscindendi amputandique* ve-
 niat notione: quam *videri eruca* convenire
 minus ac *locusta* cujus fortior morsus est. *Ex-*
urere enim potius *erucas* quam *amputare* mor-
 su arbores. Vide eum L. IV. Cap. 1. num.
 3. & Cap. 8. p. 485. Verum, tametsi (a) \square
 apud *Talmudicos, Syros & Chaldaeos* notionem
 habet *amputandi & abscindendi*; minime tamen
 sequitur, quin in cognata *Hebraea* lingua ei
mollior esse significatio possit, ceterisque *vicina*
 de *erosione* atque *attritione*. Id enim variis
 accidit vocibus ejusdem originis, ut in hac
 lingua *violentior*, in alia *mitior* iis sensus sit, mo-
 do *cognatio*, quæ inter utramq; intercedit, ser-
 vetur. Exempli causa \square , quod *Hebraicis* est
dissolvere, dissipare, saltare, quæ *violentum* indi-
 cant motum, *Chaldaeis* esse *decidere, defluere*,
 quibus fortior vis adempta est vocibus, abun-
 de

de constat. Neque putandum est (b) vetustissimos interpretes, si sola notio *amputatio*.
nis in *זרז* adesset, eaque adeo *violenta* ut
eruca moribus dari non possit, hoc *nesci-*
vissè quo eam vocem nihilominus *erucæ* fece-
runt propriam. Observandum enim cum in
 sacro Codice *ter modo* eadem legatur vox, ut,
 præter bina loca Joëlis memorata, & Amosi
 IV: 9. eos tamen constanter admodum sin-
 gulis in locis non alia nisi *καμπης erucæ* nomi-
 ne reddidisse. Oportet itaque & pro *molliori*
morsu arrodere folia, quod *erucis* competit, ea
 vox apud Hebræos olim fuerit usitata. Præ-
 terea (c) ipse locus Amosi ostendit eum me-
 lius de *erucis* quam quidem *locustis* posse acci-
 pi. Hortos vestros, ait Propheta, & *vineas*
vestras, & *ficeta vestra* & *oliveta vestra comedit*
זרז GAZAM. Nulla enim hic *segetum tri-*
tici bordeique mentio ut quidem in Joël vi. 9-11.
 vi. 17. sq. Nam *locustæ æque arbores* atque *se-*
getes depopulantur, ut ex Exod. X: v. 12-16.
patet. At *eruca* solum *arborum* foliis tenerio-
 ribus morsu atterendis intentæ sunt. Bene
 hoc ipse Bochartus animadvertit, l. c. p. 485.
Hic porro (in loco Amosi) *cum neque pascuis*
neque segetibus infestus fuerit GAZAM sed SO-
LOS ARBORUM FRUCTUS legatur *con-*
sumsisse, huic, ait, *locustæ speciei potuit id esse*
PROPRIUM, ut *NON ALIUNDE vescere-*
tur, quam EX ARBORUM proventu. Pellucet
 hic undique viri maximi *κρεσφυγητὸν*, & *rima*,
 quam

quam quærit, elabendi, eludendique vim hujus argumenti. Quidni potius, cum ejusmodi locustæ speciem dari haud possit ostendi, quæ solum arborum fructibus vescitur, non item segetibus; sed ex mero fictæ rei propriæque, quæ assumpta fuit, sententiæ defensionis hæc dependeant arbitrato. Quippeni, inquam, hic Græcorum vestigia legisse juvabit, qui vocem *Gazam* de *eruca*, cui idipsum quod Bochartus urget, *arborum* fructus, haud vero *segetum* depopulari, proprium est, intelligunt? Neque etiam *eruca* morsus (d) adeo mollis est, quin ei notio *□□□* quæ *exscindendi* est putandique possit esse adposita. Certissime illam arbores adeo privas foliis facere morsu, lento quamvis, tamē venenoso admodum, ut omnis *fructuum* spes pereat, quotidiana erudimur proprio cum damno experientia. Quin imo *erucam* multo hacin re pejorem esse *locusta* scimus. Hinc Latinis ipsi *eruca* nomen ab *erodendo*, quod *erodat* arbores & folia. Isidorus L. XII. Orig. c. 5. ERUCA FRONDIUM *vermis* - - ab ERODENDO *dicta* - - - Non advolat ut LOCUSTA, ut huc illucque discurrens semipasta dimittat, sed permanet PERITURIS FRUGIBUS, & tardo lapsu pigrisque moribus UNIVERSA CONSUMIT. Quæ verbum verbo descripsit Isidorus ex Hieronymi Comment. in Amos. IV: 9. Hinc *erucæ* tribuitur *erosio frondium* apud Columellam in *Horto*,

Nec

Nec solum teneras audent ERODERE FRON-
DES

Implicitus conche limax, birsutaque CAMPE,

Adposite Plinius L. XVII: 24. ERODUNT
(erucæ dirum, ut vocat, animal) frondem VI-
TIS, aliæ florem, OLIVARUM quoque ac DE-
PASTAM ARBOREM turpi facie relinquunt,
qui locus egregie alterum Amosi illustrat. Ne
dicamus (e) adhuc sub iudice litem esse u-
trum \square ipsa radix sit, an a \square descendat,
ut Hebræi censent, quod est, appposito \square
servili, *tondere, depascere* concinno satis *erucæ*
verbo, frondes arborum foliaque *depascenti*.
Vide Fulleri Miscell. Sacr. Lib. V. Cap.
ult.

§. 6. De Chasil nihil memorat speciatim
Bochartus, quod nominis *etymon* tangit. At
(II) hac in re nobis cum *Drusio* controversia
intercedet, qui Animadv. L. II. Cap. 58. inter
alias rationes cur perperam putet Græcos
 $\sigma\gamma\upsilon\sigma\iota\beta\eta\nu$ reddidisse, memorat (a) \square origi-
nem ducere à \square , quod *exscindere* ipsi est;
Jonathanem quoque Chaldæum (b) hoc in-
sectum vocare \square à \square *samat* quod est
vastare, exscindere, evellere. Denique (1)
hoc verbum \square usurpari de *locustis* Deut.
XXVIII: 38. Vides itaque *Drusio* ex vocis
 \square notione idem argumentum petere ac
Bochartus ex \square ut de *locustis* vocem intel-
ligendam esse doceat. Verum (1) \square vix hac
vie-

violenta significatione pro *excindere* uspiam
 usurpatur, sed notat vi vocis nil aliud quam
consumere ipsaque Hebræorum voci אכל *come-*
dere, quæ hic חָסַל *Chasil* æque ac אָרְבָּה & לֶקֶח
 significatione adfinis est. Tribui quidem (2) vo-
 cem חָסַל *locusta* haud nego ut præter Drusium
 pluribus Bochartus observavit. P. 2. L. IV.
 Cap. 1. n. 6. attamen ut his animalibus ita
 & aliis rebus *consumtricibus*, quæ efficiant
 quo quid pereat, dari novimus. Præci-
 pue hæc *absumptionis* notio apud Chal-
 dæos frequens est ut de *consumta pecunia* Gen.
 XLVII: 15. &c. Vide Buxtorfii *Lexicon Tal-*
mud. p. 800. quocirca & apud eosdem in vi-
 cinam notionem *absolvendi, finiendi* abiit. Hoc
 vero (3) tantum abest ut ab ἐρυσίδη alien-
 num sit, *segetes arborumque fructus &*
folia consumere; ut potius hoc notionis *rubi-*
gini, utut rei inanimatæ, *metaphorica locu-*
tionem proprium dent veteres. Virgilius L. I.
 Georg. v. 150.

Mox & FRUMENTIS labor additus, ut MA-
 LA culmos
 ESSET RUBIGO, segnisque horreret in arvis
 Carduus: INTEREUNT (Comestæ rubigine)
 SEGETES &c.

Esset Rubigo, hoc est, *comesset*, *consumeret* Ser-
 vio interprete. Antiquitus enim dixere ut no-
 tum *edo, es, est*, unde *esse & esur &c.* pro *come-*
dere

dere usurpatur. Vide hic notas Emmenestii & Servii ad L. IV. Aen. v. 66. Hinc pariter & esse seu comedere, absumere de robigine alia, quæ ferro propria est, adhibetur, uti & Germani dicimus der Rost frist das Eysen. Virgilius loco memorato

*Agricola incurvo terram molitus aratro
EXESA inveniet scabra ROBIGINE pila;*

& Lucanus L. I. Pharsal. eidem morsum tribuit eleganter

Et scabros nigrae MORSU RUBIGINIS enses.

unde & ipsa erosio Græcis *ἑρωσις* seu comestio vocatur. Sic & Psalmo LXXVIII: 46. agente Psalte de plagis Ægyptiacis dedit fructus eorum (sc. ad comedendum, vastandum) *רֹב חַסִּיל* Chasil ubi iterum Græci *ἑρωσι* reddiderunt. Nihil præterea (4) convenientius esse robigini quam nomen a vastatione desumptum, docet ingens illa calamitas, qua agri propter robiginem vastantur & exuruntur. Vide Servium ad Virgil. I. Georg. v. 151. & præcipue hoc pluribus narrantem Ovidium L. IV. Fast. vs. 890. sqq.

§. 7. Quoniam idcirco *ἑρωσι* ratione originis consumere tantum notat, quod æque robigini atque locustis proprium, sata consumentibus utrisque arborumque folia, hinc ea vox apta simul est ad utramque rem denotandam. Ultra significatio vero locis, ubi occurrit, apta
Class. VII, Fasc. V. Ecc sic

sit, ex rebus ipsis serieque orationis exhiben-
 dum erit. Quapropter & eandem vocem
αἰκιδία locustam reddidere Alexandrini Jesaiæ
 XXXIV: 4. & βρῆχον 2. 2. Chron. VI: 28.
 in dedicatione templi Salomonæi, ubi æque
 de terrarum *devastationibus* per varias calami-
 tates agitur. At notæ characteristicæ desunt
 unde dignoscas utrum his in locis veterum
 versioni standum sit nec ne. Aequè enim
 per *uredinem* ac per *locustas* agros depopula-
 tum iri novimus. Nam in eodem Car-
 mine templi dedicationis, ut legitur I. Reg.
 VIII: 37. Græci non modo pariter ut heic lo-
 ci, exposuere per ἐρυσίβην, sed & junctam
 vocem ibidem cum ארבה cernimus. For-
 tasse tamen potior significatio posterior erit
 eodem in loco, partim quod *locusta* sub no-
 mine ארבה facta jam mentio sit, partim quod
 cetera duo depopulationum genera, quæ hic
 occurrunt ab *Arbe* diversa cum sint, ut רקק
 ἰαπεϛ *flavedo* & שרפון πυρροῦς *adustio*; sic &
 חסיל, dein post *Arbe* sequens, omnino di-
 screpans sit, adeoque ex veterum interpreta-
 tione commode ἐρυσίβην indicare queat.
 Præterea eadem vox חסיל & in Psalmo
 LXXVIII: 46. occurrit, ubi Græci rursus
 ἐρυσίβην transtulere. Sed numne heic loci
 melius per *locustam* reddatur, valde hæreo.
 Nam (1) agit Psaltes de plagis, quas Deus
 quondam sub Mose *Aegyptiis* intulit, inter-
 que eas & per חסיל *proventus* eorum *comestos* esse
 me-

memorat. At de ἐρυσίβη nihil in Exodo inter plagas Aegyptias reperimus, ut quidem de locustis, Exod. X: 12. sqq. Præterea (2) observa in hoc hymno bina commata in quocunque versu occurrere, quorum alterum alteri sensu par est, quæ exergasiam Græci vocant figuram in Class. II. Bibl. hujus sect. II. Fasc. VI. §. 2. 3. 27. 35. & 38. pluribus exemplis illustratam. Vide idem illud schema hic vs. 44. 45. & 48. dilucide satis occurrens, ut ne minus in his quæ iis interferuntur, adesse dubites.

vs. 46. Dedit | proventum eorum | τῷ Chasil
Et- | labores eorum | τῷ Arbe

vs. 47. Occidit | vites eorum | Baddarad
Et- | Sycómoros eorum | Bacchanamal

Quemadmodum enim in ultimo illo versu גרגר in grandine, schematis illud docente indole, cum לחם pruina sensu idem est, utroque aliquod grandinis genus indicante, unde recte Græci alterum per $\chi\acute{\alpha}\lambda\alpha\zeta\alpha\upsilon$ Luth. Hagel/alterum per $\pi\acute{\alpha}\chi\upsilon\upsilon\upsilon$ Schlossen interpretati sunt, quo ad Historiam imbris grandæ ferri in Aegyptiorum agros immissi Exod. IX: 25. respicitur, Aquila ἐν κρύει in frigore explicante. Ita & in prioris commatis ultima linea arbe, sensu cum Chasil convenire videtur, eisque intendi oculum ob similem historiam; Exod. X: 12. sq. memoratam, vocibus de locustis tantum usu acce-

ptis, illic occurrentibus. Potest tamen & versio veterum heic loci defendi, quod varii generis illæ plagæ Ægyptiorum esse potuerint, & cum corruptio segetum a DEO iis immissa sit, id non modo per *locustas*, sed & *ε'puσιβη* fieri optime potuerit. Aliis in locis SS. litt. vox *ḥon* non occurrit. Dubia itaque vocis in utramque partem commode versatilis significatio, discrepantem adeo versionem produxit. Cujus rationem rei facile deprehendes, si memineris non omnes sacros libros ab eisdem interpretibus neque eodem tempore sed variorum opera laborem hunc, & quidem intercedente haud pauxillo temporis intervallo, absolutum esse, quod clarissimis argumentis V. Cl. *Humphredus Hody*, & *Lambertus Bos* docuerunt.

§. 8. Alterum *Bocharti* argumentum, quo oppugnavit Græcam, quodque nobis tertio examinandum est loco, à consensu aliorum petitum est interpretum. Ita enim L. IV. Cap. IV. p. 466. *Huic Versioni (Græcæ) haudquam stamus. Nobis enim id persuasissimum est Hebraicis quatuor vocibus quatuor locustarum species significari. Quod UNO ORE hic asserunt OMNES Hebræi. Addit L. IV. Cap. I. n. 3. ad sensum præterea Syri & Chaldaicorum interpretum. Verum si auctoritatibus depugnandum erit, his opponimus brevem quidem at validam manum, Græcorum, Hieronymi, veterisque interpretis latini eorumque in nostram*
par-

partem ad sensum. Certe *Græcorum* vetustissimorum autoritas multo potior esse debet quam omnis *recentiorum* Judæorum turba. Hi enim ea ætate floruerunt quo vivus etiamnum sinceriorque sermo Hebræus erat, eaque ipsæ voces in quotidiano usu, quo earum significationem eos nescivisse haud facile persuasum habebimus. *Judeos* autem (2) *recentiores*, qui longe sunt ætate inferiores, ingenue fateor *patrii sermonis* minime genuinam amplius habuisse notitiam cum sua litteris tradiderunt. Hoc ex tot ineptis, quibus undique & undique eorum scatent commentaria, manifesto patet interpretationibus, quas, si Hebraice docta fuisset, Hebræorum illa progenies, nunquam infelici adeo partu protulisset. Meminerimus tantum omnes illos, quos ferimus, *Judeos* sectæ *Phariseorum* addictos esse, quo unico satis constabit quid ab hoc hominum genere, *allegoriis*, & alienis præter scopum explicationibus maxime intento, in eruendo litterali sensu V. T. sperari possit. Quanto melius cum sacra eruditione comparatum esset, si eorum loco *Karræorum* commentaria, *litterali* sensui addictorum, evolvere possemus, quæ ea secta tanto opere nobis invidet. Usui quidem sunt eorum scripta præcipue Talmudica & vetustiora in doctrina veteri Pop. Judæi, styloque, ad eorum morem accommodato, Novi Test. enucleando. Verum in V. T. explicatione,

quantillum est quod per eos datur proficere. Sed longinquior ille campus est ac ut nunc in eum liceat excurrere. Bochartum tamen propria confessione in hac causa jugulemus. *Aliquanto post Christum excisis Hierosolymis* (ait Lib. IV. Cap. I. pag. 451. disputans ex mente Judæorum de sensu vocum *Arbe, Solam, Chargol & Chagab*) *JUDAEI hinc inde dispersi LINGUAE SUAE sic OBLITI sunt, ut nonnulla sint in ipsa lege, quæ illorum DOCTISSIMIS plane sunt IGNOTA.* Nec erit igitur cur aliorum reprehensionem incurram Judæis his plus ac par est faventium, quod *Isaacii Vossii* partes tuear, qui millies pluris nobis prodesse unicum Græcam LXX. viralem, ut vocant, versionem, in enucleando S. Codice contendit, quam mille Judæorum commentariola. Verum, si quis ea recte uti velit interpretatione, oportet ut haud mediocriter, missisque inprimis Grammatici. nugis vulgique præjudiciis & *Hebraice & Græce* doctus sit. Id enim, sedulo eam in rem curam adhibenti, perspectum fuit, alienas S. Codicis interpretationes, quæ passim in scriptis nostratium regnant, unice ex his *Judæorum* deductas esse rivulis. Majores enim nostri eos cum summo haberent loco, nihil ab illis dictum repererunt, quin ambabus ulnis tanto acceperint, quæ dein explicationes per *traditionem* ita in natos natorum, ut fieri solet, propagatæ, communium nactæ sunt opinio.

opinionum robora. Quas radicatae, veterum interpretationum fide, rerumque & circumstantiarum, aliter ac illi capiunt se habentium pondere, evellere, tanti studii res & laboris est. Neque etiam (2) Judæorum consensus *unanimes* est cum sæpe heic loci ignotam iis vocem per æque ignotiorem explicent. Tum & *Chaldeum* iis accedere parum perspecte adseritur à τὸ πάλιν. Explicat enim Targum Vocabulum חַנַּמַּל per חַנַּמַּל quod vi originis a חַנַּמַּל repere, notat *repentem bestiolam* quæ vox melius *eruca* ut *reptili*, ac *locustæ*, quæ *volatilibus* accensetur, adposita est. Quanquam & *locustæ* speciem vocari חַנַּמַּל noverim, sed ejusmodi quæ ἀπτερό est, & in terra *reptit*.

§. 9. Quo vero & alio constet exemplo, Judæorum adsensui quo nitamur, necesse haud esse; non tantummodo documento erit vox חַנַּמַּל *chanamal* Psalm. LXXVIII: 47. quam æque multi Judæorum pro *locustæ* specie venditant, sed frustra, ipso Bocharto ab eis faciente divortium Cap. I: n. 5. L. IV: ostendenteque rectius *grandinis* intelligi speciem, quod & §. 7. monuimus: Sed præcipue vox חַזַּז *zelatzal* Deut. XXVIII: 42. quam, *Hebraeis* omnibus, *Onkeloso*, & *Arabo Erpeniano* esse *locustam* idem vir summus n. 10. monet; At tamen illam virum gravem, his autoribus nixum, inter ea quæ S. Codex *locustis* dedit, frustra retulisse censeas. Nihil quippe causæ vi-

deo, cur minus eam æque de *ἑρωςίβη* & *rubigine*, ut *Græcus Latinusque* vetustiores interpretes reddiderunt, accipiamus. Coccejus quidem *alienam* esse hanc interpretationem vult, quo nomine illam in Lexico notat. Sed in culpa ipse est cum Lexicographis ceteris, interpretibusque, ut ubicunque in sacris voces *לל* hisque similes reperiunt, omnes ad *unicam* radicem *לל* referant, cum tamen variæ significationis voces ad varias radices pertineant, quæque unicuique aptior sit, prudentis viri relinquatur iudicio. Refero itaque hanc vocem ad radicem *לל*, quæ Hebræis Talmudicisque notat *assare, torrere* seu *solis* calfactu hoc fiat, seu *ignis*. Quemadmodum igitur a *לל* *obumbrare* fit *לל* *umbra*, & hinc ex eorum iudicio *ללל* vox: ita quid impedit si à *לל* descendat æque *ללל* cum & inde derivetur vox *לל* quæ rem *assam* seu *tostam* innuit, uti Exod. XII: 8, 9. *אש לל* *assatum igne* & Es. 44: 16. *ללל* *assat assum*, juncto cum nomine verbo. Hinc duplicata voce *לללל* vel *לללל*. Nullam vero aptiorem vocem *rubigini* posse dare scias, quam illam quæ a *tostione* & *assatione* per *ignis* furorem deducta est. Rubigo enim ab Hebræis *להבה* *flamma* & *אש* *ignis* seu *solis tostioni* adscribitur, ut ex s. 19. apparebit, coll. s. 21. Ea quippe *rubigo arborum* frondes ita *adurit*, (*rore* primum eos *obnubilante*) atque terræ *segetes*, ut *nigricantem fuscumque* iis colorem induci videas. Servius

vius ad Virgil. I: Georg. v. 150. ROBIGO ge-
 nus est vitii, quo culmi pereunt. Quod à rusticanis
 calamitas dicitur. Hoc autem genus vitii ex NE-
 BULA nasci solet, cum NIGRESCUNT & con-
 sumunt frumenta. Oritur quippe ex adustione solis,
 quo increbescente ut culmi segetum arborum-
 que folia nigra reddantur, oportet. Hinc &
 ερουίβη nomen est ab ερευθω rubeo quod ille
 nigricans color & rubori proximus sit. Uti
 Græcis μέλας & ερευθός itemque αἴθος alia-
 que vocabula synonyma sunt. Latinis pariter
 Robigini nomen est a rubro colore quem vete-
 res robum dixere Festo docente. Unde robus
 & rubus est ξανθός color. Rubo etiam arbori
 nomen inde ob rubras, quas foeneratur, bac-
 cas, & rubetis aliisque vocibus inde ortis.
 Ipsum nomen rufus, permutatis litteris cogna-
 tis B & F, inde descendit. Sed & rubiginem
 herbas torrere legimus. Columella L. X.

Hinc mala RUBIGO, virides ne TORREAT
 herbas &c.

Et Ovidius de rubigine - - culmos Titan IN-
 CALFACITudos, hoc est solis adustione tor-
 rentur, seu ut dein loquitur v. 933. L. IV. Fast.
 eadem

TOSTA sitit tellus præripiturque SEGES.

Haud itaque quidpiam causæ est cur cum Coc-
 cejo aliisque Græcam vocis hujus interpreta-

tionem adeo alienam esse censeamus, cum in ipso hoc loco de arborum segetumque devastatione mentio occurrat, quod cur minus per *ἐγραιβην* quam locustam fieri possit, parum intelligimus. Nam & rubiginem cum arborum segetes depascere. §. 17. notabimus. Præterea quod si & radici *ללז* inhæreas, nihilo secius vox *ללז* erit rubigini adposita, cum obumbrare Hebræis sit, nigro fuscoque colore obducere, nota satis tralatæ significationis origine. Id ipsum enim segetibus arboribusque rubiginis calamitate accedere vitii, ut nigrescant, satis comprobavimus.

§. 10. Ab argumentis à vocibus petitis, ad ea quæ in rebus & serie orationis prophetæ, Græcorum tralationi contraria esse augurantur viri docti, examinanda progredimur. Principe loco ponunt his vocibus, si non locustas quatuor, tamen quatuor certo indicari ANIMALIA, adeo ut in hac causa *ἐγραιβην* locum habere nulla ratione possit. Eapropter hanc versionem rejecerunt Santes Pagninus, Drusius L. II: Animad. Cap. 58. aliique. Bochartus id apertius urget L. IV: Cap. IV. p. 466. Nam, inquit, *ἐγραιβην* ne ANIMAL quidem est, sed MORBUS segetum. Itaque huic versioni (Græcæ) haudquaquam stamus. Ita &, quem antea citavi, parens meus citat ad diff. in Joëlem §. 9. Quatuor heic VIVA ANIMALIA denotari, adeoque *ללז* LXX. vocem *ללז*, que ultimo loco occurrit, MALE per *ἐγραιβην*, neque feliciter
Val.

*Valgatum eorum exemplo, per uriginem vertisse, locum attente inspicientibus patet. Memet fateor undique & undique antecedentia subsequen-
 tiaque verba excussisse, nihil tamen cum re-
 perire potuerim cur minus de *ε'ρυσίβη* quam
vivo animali vox *לח* heic loci explicari pos-
 sit, fateor me divinando vim hujus argumen-
 ti vix adsequi posse. Si enim doceri possit, id
 quod nemo diffitebitur, & ex dictis constabit,
tubiginem æque *depopulationi* esse frugibus & eo-
 rum pernicipi causam, ac *viva animalia*, nescio
 quid urgeat causæ cur hic ad *animalia* inter-
 pretationemque adstringam. Hariolor ta-
 men eum argumentari velle in modum viros
 eximios, si priora tria vocabula *Gazam*, *Arbe*,
 & *Jelek*, designant *animalcula*, par esse quo &
 quarto nomine *לח* ejusmodi indicare æque
animal censeamus: Quam si recte adsecutus
 sum mentem, memores simus, quid Logici
 iis argumentis quibus a particulari ad univer-
 sale concluditur jure suo tribuant. Nam ita
 & Psalm. LXXVII; v. 46, 47. cum *chasil*, *Ar-
 be*, *darad* & *chanamal* memorentur causæ deva-
 stationis proventuum agri Ægyptiaci; utut
 Judæi tria horum nominum de *locustis* accipi-
 ant, tamen penultimum *darad* de grandine
 explicant rectissime, neque pariter ea propter
locustarum numero accensent, quod *cetera* ejus-
 modi ipsis videantur *animalia*. Longe etiam
 (b) concinnius est, ut, si fieri possis, *aliud*
 quidpiam iræ divinæ instrumentum, quam
 me-*

mera animalcula cogites, uti DEus non modo locustis, sed & grandine Ægyptiorum frumento calamitatem intulit. Sed de hac re dein dilucidius. §. 13. sqq. agetur.

XI. Alios vero videas ex notione verbi **כָּאָרַע** κατὰφάγειν comedere argumentum ducere, quod minus commodum esse τῇ ἐρυσίβῃ, ut rei inanimatae, judicant. Ita quippe legimus in S. textu Joël. I: 4. *residuum Gazam* **כָּאָרַע** COMEDET *Arbe* &c. & *residuum Jelek* **כָּאָרַע** COMEDET CHASIL. Hinc *chasil* volunt animal esse, cujus proprium sit edere: Sed quid, quæso, frequentius est *Græcis*, *Latinis*, *Hebræis*, omnibusque omnino populis, ut **כָּאָרַע**, ε'σθῆεν, φάγειν comedere rebus inanimatis & præcipue ut robigine heic loci dari cupimus exurentibus omnia flammis tribuatur. Opus haud est ut exemplae longinquo petamus. Confer Joel I: v. 19. & 20. ubi **IGNEM COMEDISSE** **כָּאָרַע** **וְאֵשׁ** *pascua deserti*, bis reperimus. *Ignis* autem Hebræorum loquendi modo, & *flamma* est ipsa siccitas solis, quæ culmos udos rore factos ita adurit ut robiginis inde calamitas succedat. Sic & II: 3. *Ante eum COMEDIT IGNIS*. & post eum exurit **FLAMMA**; atque ita passim: Vide Nahum. III: 13. 15. Amos. V: 6. Zaeh. XI: 1, 16. Thren. II: 3. IV: 11. Ezech. XV: 7. Es. XXIX: 6. XXX: 30: &c. Uti & de ferro Es. I: 20. aliisque rebus *consumentibus devastantibusque* occurrit. Sic πῦρ dicitur ε'σθῆεν Homero II: ♀, & passim.

Notaque satis est Chaldæorum ad ignem formula: $\Delta\epsilon\omega\sigma\tau\alpha\ \pi\upsilon\theta\ \epsilon\omicron\theta\iota\epsilon$. Latinis æque tritum. Virgilius L. IV. Aen. v. 66.

- - EST *mollis* FLAMMA *medullas*,
& L. V: v. 683. EST *vapor*: ubi *vaporem* poni pro *igne* & *calore* rectissime doctissimi observant. Adde quæ antea de *rubiginis* observavimus *esu*. §. 6. At, quid rei adeo in vulgus notæ, diutius immoramur.

§. 12. Privum hoc Bocharto est, & quo peculiari argumento velle uti in hac causa videtur, L. IV: Cap. I. p. 446. quemadmodum Levit. XI: 22. *quatuor* Hebraica nomina totidem *locustarum* species denotant, ita & commodum esse quo itidem heic loci obtineat *quatuor* animalium explicatio. Damus viro summo in loco Levitici *Solam* & *Chargol* esse *locustas*, ut res etiamnum & *lis*, num ita se habeat, sit sub iudice. Verum quod *solam* & *Chargol* illic *locustis* sint accensendæ voces, non eo nititur præsidio, quod cum *arbe* & *chagab* illic jungantur, quæ *locustarum* in censum omnes habemus. Alias enim & כרעב *locustam* denotare necesse foret quia cum *arbe* jungitur. Psalm. LXXVIII: 46, 47. quod ipse vir magnus abnuit. Sed quod iis peculiaris adsit *eadem* nota *characteristica*, nimirum quod *solam* & *Chargol* æque ac *arbe*, & *chagab* adsint כרעב *pedes* posteriores in eum usum ut iis *saliant* in terra ut diserte eam v. 21. reperimus. Hoc autem *locustarum* *proprium* esse sciamus, alibique plu-

ribus tradituri sumus. In loco vero Joëlis minime de harum *quatuor* rerum *propria* nota *characteristica* sermonem cædere prophetam novimus, qua a ceteris *alibus minusculis* distinguantur; sed de *agri, arborum, segetumque* de *populatione*, quam, sicuti *locustarum* inimico *frugibus* *morsu* contingere persuasi sumus; ita nec minus experientia docet eas calamitates non semper iis *solis* tribuendas esse, cum idem infelicitatis in proventus per *erucas & uredinem* aliaque contingat æquo sæpe numero. Atque eum in modum si explicetur locus de *diversis* plagis per *diversa* vindictæ divinæ instrumenta, neque solum per (1) *locustas* sed & (2) *erucas* & (3) *rubiginem*, terræ Judaicæ illata, multo concinnius orationem fluere, id ipsum est quod pro elegantia Versionis Græcæ vindicanda, nunc in apricam lucem profereamus.

XIII. Elegantissime parens meus in *Analyfi* *Cap. I. Joëlis* observavit §. 8. *Malum* (de quo loquitur Joël illudque imminere Palæstinæ vaticinatur) ita explicari, ut liceat colligere (1) *pestem* fuisse **QUADRUPLICEM** pro varietate *quatuor insectorum* (potius *nominum* pestis causarum) (II) *Malum* **UNUM ALTERI** *velut* **ORDINE** quodam **SUCCESSISSE** (III) **POSTERIUS** quodque **PRIORI** fuisse **DETERIUS**. Quod reliquit (a) **הגזם** comedit (b) **הארברה** **ש** quod reliquit Arbch comedit (c) **הילק** **ש** quod reliquit Jeleck, comedit (d) **החמיל**

Ἰουδ. v. 4. Ita & Munsterus. Ponit quatuor
 genera vermium depascentium frumenta & fructus,
 quorum POSTERIUS quodque GRAVIUS fuit
 priori. Eadem verba ut & quæ subsequuntur
 ἀναλεξεί habentur in notis Clarii, qui verbum
 verbo maximus plagiarus Munsterum descri-
 psit. Hæc omnino ut par est, amplectimur
 ambabus non solum manibus, verum & addi-
 mus (IV) simul indicari has quatuor species
 devastationum EODEM anno simul Judæam
 vexaturas. Quippe Judæos iterum nugari, qui
 quatuor diversos annos comminiscuntur, ὁ πάλιν
 satis ostendit Hieroz. L. IV: cap. IV. p. 465.
 Ita ut si plures desideres annos, pro vindi-
 ctæ divinæ atrocitate DEUS subsequentibus annis
 hæc quatuor iterum simul eodem loco immitte-
 re censeatur. Interea tamen Judæorum sen-
 tentiæ miror addictum esse Drusium, ne Vata-
 blum memorem, septem annos, quibus hæc
 vastatio duravit, tradentem, tres præterea
 exustioni tribuentem ex v. 17-20. Habenda nec
 minus (V) & temporis, quo unaquæque se
 præsentem sistit, ratio, ut naturali etiam ordine
 altera alteram subsequatur, atque simul illas
 natura jubente, eodem ordine discedente, alte-
 ram ejus indolis esse ut in prioris locum succe-
 dat præcedentisque reliquias adeo devastet, ut
 quarto, ultimo loco decedente, nihil reliqui
 fuerit quo vel homines vel fera eodem anno ve-
 scerentur. Quippe altera, quod summope-
 re notandum, dicitur alterius comedissee RE-
 LI-

LIQUIAS. Pari ratione id in Plagis Ægyptiis contigit, quarum, quoad fruges, prior erat GRANDO, quæ omnem herbam læsit & omnem arborem confregit. Exod. IX: 25. At, cum grando tantum læsisset linum & bordeum quia eo tempore bordeo jam erat calamus, & lino culmum, tum diserte additur triticum & Zeam non læsum fuisse, eo quod erant SEROTINA. v. 31, 32. Igitur grando, quamvis linum & bordeum concussisset, tamen triticum & Zeam integram reliquit. Cum itaque Moses dicit Exod. X: 5, 12, 15. LOCUSTAS consumsisse quicquid GRANDO RELIQUUM fecerat; ita sponte intelligimus locustas fuisse grandine posteriores, quæ grandinis reliquias, nempe triticum & Zeam & quicquid in arboribus reliqui erat frugum, grandine innoxio, contumisse. Uti igitur grando naturali temporis ordine prior est in ipso vere, locustis demum æstate advenientibus: (Nam has duas plagas æque eodem anno accidisse optime Bochartus docuit P. 2. L. IV. Cap. III. p. 462.) Ita & heic loci oportet (1) quo quicquid nomine Gazam intelligi cupimus, doceamus eodem anno prius adesse, quam Arbe. Tum (2) arbe priorem Jelek & (3) Jelek priorem τῶ Cbasil. Præter necessitatem enim miracula fingi non oportet, cum naturalis causa possit luculenter indicari.

§. 14. Repetentibus memoria igitur quid crescente vere, recens se explicantibus arborum nodis floribusque calamitati statim atque

exitio fit: ERUCA principio in conspectum
 prodit arborum speratarumque frugum sum-
 ma perniciēs. Attamen non diu est quod ea-
 rum dominetur impetus. Crescente enim
 æstate erucæ ex quo primum *involucro* quo-
 dam conglomeratæ fuerunt, in *papiliones* mu-
 tantur. Unde fit, ut adempta iis *erodendi* vi,
 non nihil adhuc *reliquum* supersit, quo latæ ar-
 bores efflorescant: aut, si earum infestis mor-
 sibus *exusta* fuerint omnia; nihil tamen se-
 cius, ob vegetum ver solisque temperatum
 calorem, recentibus denuo *foliis arborum*
 comæ facile nutriantur. Inde, si major cala-
 mitas regionibus imminet, necesse est quo
 aliud mali genus æque frugibus trux & minax
 eorum locum, quem erucæ jubente natura de-
 relinquunt, occupet. Residuum igitur *Ga-
 zam* (quod nobis *eruca* est) comedet (II)
 ארבה, *Arbe* ait Propheta. Ea voce cum *Lo-
 custas* indicari ex tot SS. Litt. locis, & veterum
 constet interpretationibus, & heic loci illi
 controversiam haud movemus. Uti autem
 primo *vere* major est proventus *erucarum*, sic &
locustarum pariter, ut utriusque copia eo *major*
 sit & *frugibus segetibusque* perniciosior. Docet
 id Aristoteles L. V. Cap. 29. Hist. Anim. Quis
 autem ignorat *locustas* tum primum prodire ex
ovibus seu *vermibus* cum *ver* propemodum *exi-
 tum* minetur, illudque tempus adest quo *eruce*
 mutantur in *convolvulos*? Id enim contingere
 EXITU VERIS probe animadvertit Plinius

L. XI. Hist. Nat. Cap. 29. Rectissime proinde *eruca* successor datur *Locusta* in depopulandis *fruticibus*. Ad calamitatis nondum finis, ut, quamvis locusta perniciosius *arboribus* animal segetibusque, non detur, quod & contactu omnia & sputo *adurit*, arborum ramos *decorticat*, proventumque paucis *absunit* horis (quo in Joëlis vaticinio v. 7. sqq. spectant, prolixè à Bocharto Cap. III. & IV. illustrati, ut exinde eas & *eruca* multo *nequiores* esse appareat) tamen, quod *Arbe* reliqui fecerit, devoraturum (III) *Jelek* propheta præterea comminatur. Cum & hæc vox perpetuo de ארבי & ארביה usurpetur & cum ארבה alias sensu conveniat. Vide Psalm. CIV: 33. coll. LXXVIII: 46. & Jerem. LI: 14, 27. Nahum. III: 15. non est cur eandem & heic loci aliam esse credamus ac *locusta* speciem, utut qualis sit & qua ratione ab ארבה differat, explicare nullatenus possimus. Oportet tamen ut *perniciosius* ארבה sit locustarum genus *Jeleek*. Quod non modo series suadet orationis, sed & ex Jerem. LI: 27 discimus, ubi *Jeleek* dicitur סמור, hoc est, *terribilis*, *horrida*que bestia, seu *horrorem*, omnibus *incutiens*, uti & coram hoc exercitu locustarum & maxime *Jeleek*, OMNES in cælo & terra dicuntur **CONTREMISCERE** Joël. II: 1. Ita סמור de insigni *horrore* usurpatur Psalm. CXIX: 120. Confer Bochartum L. IV: Cap. 2. P. II. Hieroz. Hoc itaque tertio loco summum, perituris ex *Ar-*
be

be reliquiis ; frugibus etiam minitatur dirius pestilentiusq; ue ceteris, quæ retulerat, animal.

§. 15. Verum cum & aliquid *residui* esse possit quod exitiosissimum locustarum varii ordinis non vastasset virus ; Deus supremum populo suo vitæ exitium, deficiente proventu, quem comedent homines indicaturus, & (4) loco *Chasil* seu *rubiginem* denuo accessuram se verum in modum pollicetur. Hanc autem contingere *rubiginis* calamitatem *frugibus segetibusque*, ex quo jam adolevere atque *æstatis* accessere tempora, compertum habemus. Ita ut commode *erucarum, locustarum, bruchorumque* vastatio, hanc quæ per *uredinem* fit, antecedere possit, & maxime in Judææ regionibus soleat. Hinc de eodem locustarum exercitu, quem Deus se missurum in *fruticeta, arbores, segetesque* minitatur, ait propheta Cap. II: 3. *Ante eum (exercitum) comedit ignis, & POST EUM exurit FLAMMA. Ignis (a)* qui antecessurus est locustarum agmina, sunt *Fulgetra*, mixta *grandinibus & tonitruis* ut ipse Joël explicat vs. 11. quæ *tenerrimam* segetem ne succrescere possit, fatali igne ambiunt mordicus. Tum (b) succedunt infensissimæ fructibus *eruce*, & (c) *locustæ*, abhinc, pariter terribilis ille Dei exercitus. Cumque nec illorum satisfactum sit exustionibus voluntati Dei, adest (d) denique *Flamma*, hoc est Hebræorum stylo, *summa siccitas aëris & calfactio*

ex qua segetibus *uredinem* nasci antea evicimus §. 3. Et hæc quidem plaga omnium præteritorum facile eludit potentiam. Nam erosio ab *erucis* & *locustis* arboribus, nonnihil *residui* superesse possit, dareturque quod secundo sole dein adolesceret. Verum simul atque gravior *rubigo* segetum culmos arborumque frondes occupat, ea teneriora carpit quæque, ipsam medullam arborum adurit, tantoque iis exitio est ut futuri proventus nulla amplius spes agricolæ superesse possit. Tum quippe non fructus modo ejus perit anni, sed adusto penitus interiore arborum succo, intereunt illæ simul, nec nisi excisioni locum relinquunt colono. Bene proprio experti sunt damno veteres Romani, unde sacris *robigalibus* exoraturi Deam *Robiginem*, quo mitior sit segetibus, in hæc verba præire precibus jusserunt, quæ Ovidius his versibus inclusit, quibus ejus mali calamitatem etiam ceteris omnibus longe anteponebat L. IV. Fast. v. 906. sqq. quæ ut ejus atrocissimum virus exinde pernoscas, adscribimus.

ASPERA *Rubigo, parcas Cerealibus herbis,*
Et tremat in summa lene cacumen humo.

Tu sata sideribus cœli nutrita secundis
 Crescere, dum fiant falcibus apta, sinas.

VIS tua NON LEVIS est qua tu FRUMENTA NOTASTI

MOESTUS in AMISSIS illa colonus habet.

Nec VENTI TANTUM Cereri NOCUE-
RE, nec imbres,

Nec sic marmoreo pallet adusta gelu.

QUANTUM si culmos Titan incalfacit Udos,
&c.

Atque hæc *uredinis* calamitas eo perniciosior est, quo quæque regio, cui incumbit, propinquior est curru solis. Unde in *Judea* gravius eadem omnia adfligi, quam vel in *Italia*, situs regionis ostendet.

§. 16. Salva igitur hæc erunt, si objecti-
unculæ, cui hic locum fore animadverto,
occurramus. Ea enim, quæ de *ordine succes-
sioneque* justa harum rerum disputavimus, eli-
di facile dicent, si Joëlis II: 25. contuleris, ubi
Gazam, quæ Cap. I: 4. fuerat, prima, hic ul-
timo loco & *Chasil*, quæ ultimo illic ordine,
hic ante *Gazam* exhibetur: *Et reddam vobis
annos quos comederit ARBE, JELECK, CHA-
SIL & GAZAM.* Quippe hoc inverso ordi-
ne illic leguntur. Verum & heic loci facil-
lima responsione defungimur, cum *posteriori*
loco non *ordo* nexusque depopulationis, ut
quidem priori, exhibeatur, sed tantummo-
do Deus, se redditurum ipsis, si resipiscant,
eum polliceatur proventum, quem antea
hæ *quatuor* calamitates, ejus iræ instrumen-
ta, consumsissent. Unde necesse haud est,
ut eodem *ordine* utrobique locorum vocabu-
la occurrant. Aliter enim cum priori loco
se habet, ubi *RESIDUUM Gazam comedet*

Arbe, & RESIDIUM Arbe comedet Jeleck &c. adeo ut altera alteram naturali etiam ordine excipiat, necesse sit. Notemus autem quæ altero in loco occurrit, dictionis elegantiam: Et reddam vobis אַנְשׁוֹן ANNOS: hoc est, proventum annuum tam segetum quam fructuum, ficus, vitis, mali punici, palmæ &c. quem hunc exercitum Dei consumsisse legimus Cap. I: v. 10-12. coll. Cap. II: v. 21-24. Sic אַנְשׁוֹן annus & alibi proventum atque annonam indicat, & bona atque redditus annuos. Proverb. V: 9. in admonitione sapientiæ ne Juvenis bona sua cum meretricibus consumat. Ne peregrinis des אַנְשׁוֹן vitam tuam, & אַנְשׁוֹן ANNOS tuos immisericordibus; Græci ἴνα μὴ πρόη αἰδέοις ΖΩΗΝ οὐκ, καὶ οὐκ BION ἀνελεήμοισιν. Nam Ζωὴ & βίος in SS. litt. sæpissime facultates, bona, victum, proventum indicare, abunde satis alibi docuimus. Ita אַנְשׁוֹן פָּרִי vitulus ANNORUM est μόσχος οἰεὺς Græcis, hoc est ex proventu saginatus. Sic Græcis ἀφρονον proventum esse ἀπὸ ἐνὸς ἐνιαυτοῦ ab uno ANNO, Latinisque annum frequenter pro annonâ, proventu, usurpari in diff. de Navibus Alexand. Cap. II. §. 4. ostendi. Nostræ igitur causæ is adest favor, uti nullam melius rerum naturali ordini verbisque prophetæ sententiam adpositam quam veterum interpretum cer-namus: Contra patefieri tantam non apparere in dictionibus vim atque elegantiam si perpetuo locustas intelligas. Idque eo magis,

gis, quoniam doceri vix posse credimus, istiusmodi *locustarum* species quatuor ipso ordine naturæ sibi met succedere, alteramque aliter esse de passione deteriore.

§. 17. Præterea in ipso sacro textu omnia *rubiginis* malo præter cetera adposita sunt, tantum abest ut aliquid adversi contineant. Ille quippe morbus non (a) modo *segetibus* noxius est, sed & *arboribus*, & præcipue *vitibus* & *oleis*, uti & *locustæ* tam *arbores* quam *frumentorum* exurunt *spicas*. Hinc Plinius docet *rubiginem esse malum cælesti FRUGUM & VINEARUM* L. XVIII. Cap. 17. Quapropter, uti mentio fit, tam *perditarum arborum* quam *segetum*, & de illis quidem vs. 5. 7. 10. 12. de *b's* vs. 9. 10. 11. 16. 17. 19. Aequè *utrorumque* proventuum per *rubiginem* exustionis meminit Moses Deut. XXVIII: 42. omnes **רָבִי** ARBORES tuas & **רִבְיָה** FRUCTUS tuos TERRÆ (hoc est *segetes*, *gramen*, *herbas* &c.) *consumet* רָבִי RŪBIGŌ, de quo malo hanc vocem optime posse intelligi §. 9. evicimus. Græcorum, his adposita est versio interpretum optime ea reddentium. Πάντα τὰ ἔΓΑΙΝΑ σου, καὶ τὰ ΓΕΝΝΗΜΑΤΑ τῆς Γῆς σου ἐξαναλώσει ἢ ἐρύσσει. Aliæ Editt. pro *ξύλινα* habent *ξύλα arbores*. Nam *ξύλον lignum* ut Hebræis **רָבִי** de *arboribus* etiam *frugiferis* sumi non modo apud Græcos interpretes Eccles. II: 5 Prov. III: 18. XI: 30. XIII: 12. XV: 4. Psalm. I: 3. Gen. II: 9. III: 22. 24. Ezech. XLVI I: 12.

Joel. I: 19. II: 22. &c. Sed & alios τῶς ἕξω ejus
linguæ autores docuit Cl. Outhovius obsl. in
Psalm. I: 3. p. 449. sq. Biblioth. hujus Class.
I. Fasc. IV. quibus junte animadversiones Ho-
ratii Vitringa, doctissimi juvenis, in Specim.
Anim. in Vorstium Cap. I. p. 214. Addatur
eorum observationibus idem dignosci ex
phrasi Græca ξύλα κόπτειν, quam & latini ex-
primunt per *ligna cadere*, cum arbores *vivas*
ex sylvis succidimus, plane uti & Germani
loqui solemus *Holz fällen*. Usus eadem est
Dio Cassius L. LI. de P. Turullio quod in In-
sula Cō ex Aesculapii sylvā arbores rei nauticæ
causa succiderit. Idem Callim. H. in Cerer.
v. 42. vocat δένδρεα κόπτειν ARBORES *cadere*,
sed quam hic & antea δένδρεον vocavit *arbo-*
rem v. 38. dein ΕΥΑΘΝ appellat v. 41. Latinis
lignum idem indicare præter loca ab Outho-
vio, Vitringaque citata, docebit Virgilius
L. XII. Aen. v. 766. *oleastrum* vocans *li-*
gnum.

Forte sacer Fauno foliis OLEASTER amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile LIGNUM
& Juvenalis Sat. XI: v. 117.

- - nostraque ex ARBORE mensas
Tempora viderunt: hoc LIGNUM stabat ad
usus.

Pariter minime male hic γέννημα accipis pro
segetibus terræ aliisque κορπῶς, uti sæpissime
apud

apud hos interpretes Deut. XXII: 9. de primitiis segetum, & γεννήματα τῶν ἀγρῶν. Deut. XXXII: 13. Ezech. XXXVI: 20. & τῆς γῆς γέννημα Deut. XXX: 9. Jerem. VII: 19. atque ita millies fere. Notavit quidem eam locutionem Thomas Magister in vocibus Atticis. ΓΕΝΝΗΜΑΤΑ inquit, ἐπὶ ΚΑΡΠΩΝ πνεύματα πλάσσειν. Ἀδοκίμως. Σὺ δὲ λέγεις καρπὸς hoc est. Γεννήματα quidem ponunt loco καρπός. *MALE.* Tu utere voce καρπός. Sed proba vox est hoc sensu. In glossis veteribus segetibus vertitur καρπός ΓΕΝΝΗΜΑΣΙ. Imo vocem γέννημα ad omnem copiam & proventum transferri Victorius L. XXXIV. Var. Lect. Cap. 21. docuit. Alias proprie γέννημα, quod est a γεννάω, de partu vel hominis vel animalis accipi, uti Syr. X: 19. & in N. T. γεννήματα ἐχιδνῶν sunt serpentes Luc. III: 7. Matth. XXIII: 33. haud immemores sumus. Verum æque & de fructibus arborum & segetibus occurrit, quemadmodum vinum vocari notum est γέννημα ἀμπέλων Matth. XXVI: 29. Luc. XXII: 18. coll. Es. XXXII: 12. sic & Luc. XII: 18. de divite colono: καὶ συνάξω ἐκεί πάντα τὰ ΓΕΝΝΗΜΑΤΑ μου: hoc est agri arborumque proventus quos ipse antea καρπός vocaverat, ubi consulantur notæ Pricæi. Sic pariter γεννήματα τῆς γῆς habes 1. Maccab. XI: 34. Sapient. XVI: 16. Syr. VI: 21. & passim. Cum quibus conferatur metaphorica Apostoli locutio, à frumento & satione desumpta, cum bona opera passim vocat γεννήματα δικαιο-

évye. Hæc obiter dicta nos reducant in
viam.

§. 18. Cetera enim quæ apud Joëlem de ca-
lamitate *in signi* memorantur & perniciosissi-
mæ pariter *rubigini* congrua esse, notemus.
Ait (b) v. 5. propheta. *Expergiscimini ebrii,*
FLETE & EJULATE &c. Et vi. 11. 12. *Eru-*
bescite **AGRICOLAE, EJULATE** vinitores
propter triticum & bordeum, quia PERIIT MES-
SIS agri &c. quia periit GAUDIUM à filiis bo-
minum &c. Eadem ratione cum oborta est se-
getibus *rubigo*, perituræ messis index, *tristis-*
simum esse colonum Flamen Dæ *rubigini* memo-
rat in precibus pro averruncando ipso *rob gi-*
nis malo fufis apud Ovidium loco memorato.
Ait enim

- - *Si culmos Titan incalfacit udos*
MOESTUS in **AMISSIS** illa **COLONUS**
habet.

Amiffarum enim rerum postulat dolor ut
amiffa *segete*, rustici, ob proventus eorum
frustratæque spei ægritudinem, *lugeant*, quem-
admodum contra *summa* iis adest *letitia*, cum
secundæ *messi* falces immittere datur. V. Psalm.
IV: 8. Es. XVI: 9. Deut. XVI: 11. & quibus ea
de re Græcorum latinorumque scripta abun-
dant testimonia. Quapropter & (c) *exustam*
messem ut in signe **IRAE** divinæ ejusque **JU-**
DICII testimonium habet propheta vers. 15.
Heu! diem illum, ait, *quia propinquus est Dies*
DO-

DOMINI (hoc est iræ divinæ & iudicii dies
vindicte) & ut vastitas ab OMNIPOTEN-
TE veniet. Confer Cap. II: v. 11. ubi יום גדול
dies MAGNUS domini vocatur, & v. 31. Eodem
modo flamen ad Deum robiginem,

Si culmos Titan incalfacit udos
TUNC locus est IRÆ, Diva TREMENDA
tua.

Hinc & Robigo Deo Deæque robigini sacra facta
esse, ne eorum ira, haud votis placata & pie-
tate vitæ, in segetes exardesceret, ibidem la-
te Ovidius L. IV. Fast. & Varro, Festus alii-
que pluribus commemorarunt, optimum (d)
itaque remedium pro avertenda rubigine dat
Horatius L. III. od. XXIII. ad rusticam Phidi-
len, in principio

Cælo supinas si tuleris manus &c.
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis, nec sterilem SEGES
RUBIGINEM, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

Cum quibus confer quæ Cap. II. Joël 12. sqq:
& v. 24. sqq. de redivivis feliciter satis frugi-
busque, si DEO addictiores futuri sint Judæi,
pollicetur. Addit (e) Propheta v. 9. Exci-
sum est fertum & libamen e domo Domini, lugent
sacerdotes ministri domini, &c. Et v. 13. Venite
& pernoctate in saccis (Sacerdotes) quoniam pro-
hibitum est e domo Dei vestri fertum & libamen.
Quip-

Quippe cum colono defunt *fruges* non aderit
quod offerat *Sacerdotibus*, Dei ministris,
unde & ad eodem *luctus* causa descendit insi-
mul æque ac ad colonos. Hinc idem Flamen
apud Ovidium *Robiginem* precatur,

*At tu ne viola CEREREM semperque CO-
LONUS
Absenti possit solvere VOTA tibi.*

Primitiæ enim segetum, quas offerebant Diis
læti coloni, erant reditus *sacerdotum*.

XIX. Denique hoc observandum cense-
mus, non facile pati sequentia Prophetæ ver-
ba quo *rubiginem* ex harum quatuor vocum si-
gnificatione excludamus. Nam (a) non
modo exercitus illo DEi seu locustis eam depopu-
lationem tribuit v. 5. sqq. Cap. II: v. 2. sqq.
Sed & calori intensissimo & incredibili siccitati,
cujus culpa *fruges exaruerint segetesque inanes*
redditæ sint. Quod ipsum illud est, explica-
tum satis, malum *rubiginis*. Nec enim tan-
tum *vites arboresque* refert *exaruisse*, seu uredi-
nis adustione *erubuisse*. v. 12, 19. Sed & mani-
festo *flamma & ignis*, hoc est *adustionis siccitatis-*
que, mentionem facit quam disertissime v.
19. *voceferabor ego ad DEum*, quoniam אש
IGNIS *consumsit pascua deserti*, להבה
FLAMMA *adussit omnes arbores agri*: & v.
20. *Exaruerunt alvei aquæ*, אש IGNIS *ab-*
sumsit pascua deserti. Nam מרבית *deserta*
abun-

abundabant in Judæa segetibus campestribusque arvis. Quippe voce eadem non intelligendum esse, locum horridum & sterilem, sed compascuum, segetibusque & campis viridantibus plenum & convallibus, multis optime THEODORUS frater meus docuit in diff. de XCIX. *Jussis*, quam in Bibl. hujus Class. I. Fasc. II. §. 21-27. legis: *Flamma* vero & *ignis*, quorum *astus* sævitate hæc pernicies Judæis comminabatur, cum neque ad *Gazam*, neque *Arbe* neque *Jelek* referri possit, necesse certe est ut ad חסיל pertineat. Eam idcirco elegantissime per ἰσχυρίσθης explicuisse Græcos vocem intelligis. Accedit (h) quod Joël dicat Cap. II: 3. אחריו *POST* eum (magnum exercitum & gentem multam v. 2.) *adurentem* להבה FLAMMAM succedere. Hunc exercitum esse ipsas *locustas* ex tota patet orationis serie, luculenterque id satis a Bocharto l. c. C. IV. & V. explicatum est. Confer Cap. II: v. 11. & 25. Illæ vero eum sint *Arbe* & *Jelek* v. 4. quæ *POST* eas (id est post earum *discessum*, nota SS. litt. stylo, uti *ante eum* pro *ante ejus adventum* ponitur antea) adest FLAMMA, certe חסיל esse debet seu ἰσχυρίσθης. Quia hæc *ultima* vox est nec alia subsequitur in hac causa & vaticinio. Prouti & naturalis Philosophiæ magistri observarunt multitudinem *erucarum*, *locustarumque* insignem solis promovere *calfactionem*. Ponitur autem *flamma* & *ignis* pro *rubigine* ut *cause* pro *causato*, aut *efficientis* pro *effecto* metonymia.

XX. Illis ita sese habentibus, oportet ut ad hunc lapidem lydium & recentiores SS. litterationes, maxime vernaculas, examinemus. Priorem vocem *Σκῆ* nullus est interpretum nostræ gentis, quin nostris partibus accedens, explicuerit per *erucam raupe/ ruppe*, ut *Lutherus, Piscator, Belgæ, Ulenbergius, & Judæi* nostrates. At quæ in hac voce explicanda inter illos concordia, talis in ultima *Σκῆ* dissensio, Belgæ & Judæi transtulerunt per *Kraut-Wurm/ vel kruyt-worm*, hoc est, *vermis olerum*, *σκῆλινε λαχάνε* contra omnium interpretum veterum mentem. At cum nullibi in S. Cod. eam *Σκῆ* notionem obtinere, nec habere ostendi possit, merito repudianda erit. *Lutherus & Piscator* explicuerunt nimis laxè per vocem *Geschmeiß* qua omnis fœdans maculansque colluvies, indigitari potest. Is eum vernaculæ voci sensus est. *Schottelius* in egregio opere de Lingua Germanica L. V: tract. VI. p. 1404. primitiva linguæ Germanicæ explicans: *Schmeiß/ Schmeissen* maculare stercore, *Geschmeiß/* colluvies maculationum, *Schmeiß/ Fliege/* musca major. Inde, quod addo, & verbum *beschmizen/ beschmitten/ Belgis besmetten*, fuco vel cæno fœdare; & affine *Schmuß/ beschmußen*. Notatur autem voce *Geschmeiß* alias insignis colluvies ad quam notionem hi interpretes forte attenderunt, ita ut cum dubii hæerent, quid voce privi indicaretur, se generaliori posse defungi, existima-

verunt. *Caspar Ulenbergius* qui *Vulgatum* in
 vernaculam transtulit, optime reddidit uti &
 לֶחֶם דֶּעַר Deut. XXVIII: 42. per *Milthau* quod
 alia dialecto nobisque est *Mehlthau* utpote
 qua voce insignimus *rorem* illum, qui æstivo
 tempore frutices instar *farinae* ambit. Inde
 enim ipsi nomen vernaculum, quasi *rorem* di-
 ceres *farinaceum*, ex *Mehl* quod nobis *fari-*
nom, indicat, composita. Atque hoc est
 ipsum illud *ῥοιγρῶδες* pulveri simile, & *πρῶ-*
ῥῶδες pruinae simile, quibus circumscripsisse
ἰγουίβη vocibus Græcos §. 3. excussimus.
 Est enim proprie *ros* matutino sole aut nocte
 intempesta arbores segetesque undique am-
 biens, qui ob colorem partim, partim figuram
 similem vel pruinae, vel pulveri, vel farinae, eo-
 rundem nomina adoptat. Sed quod ita *Ulen-*
bergius ac rem tetigerit, haudquaquam pro-
 prio debet ingenio, ac quidem, *Vulgati*,
 quem transtulit, beneficio. Quantumvis au-
 tem *ros* ille *farinaceus* (*der Mehlthau*) non ipsam
 vi originis indicet *rubiginem*: Antecedit enim
 maximam solis adustionem *rubiginis* causam,
 cum arbores segetesque siccitate aridas, com-
 bustasque *rusas* reddit: usu tamen pro ipsa ru-
 bigine, antecedente pro consequente, causa-
 que pro effecto positus, sumitur. Alias Ger-
 mania concinnioem, quæ ipsam *rubedinem*
 exprimat, non habet vocem, nisi hanc, aptiorem
 tamen rei, periphrasin *der Brand im Korn*
 oder *Getreyde unde & exustos segetum cul-*
 mos,

mos, vocant das Brand-Korn/ latinis *ustilago*, ut Apulejo de Herb. c. 63. Quod inde est quia in his frigidioribus oris, ac sub qua ferventior Judæa cælo exposita est, potius ros ille humectans, quam sol, nobis non adeo gravis, segetes depascere & frutices videtur. Anglica versio etiam quatuor hic locum facit animalibus & cur *arbe* reddiderit per *locust*: tamen tribus ceteris nomina dat quæ in eadem lingua *erucarum* genera denotant. Nam *Gazam* explicat per *palmer-worme*, *Jeleck* per *can-ker-worme*, & *Chasil* ipsi est *caterpillar*. Adeoq; de totidem fere *erucarum* hic cogitavit generibus, ac alii *locustarum*. Verum de ceteris versionibus ex harum characteristarum notarum usu, facile poterit capi conjectura.

XXI. Nunc receptui canendum esset, nisi coronidis loco de parallelo apud Hoseam commate VII. Cap. V. heic loci commode sententia exponi posset. Agitur ibi de *pæna* pariter quam DEUS immissurus esset Israël ob neglectam cultus divini reverentiam. Idcirco ait, eos & hereditatem ipsorum *אכלם וחרשם*, quod reddunt, COMEDET mensis vel novilunium Luth. wird sie der Neumond fressen. Uti & Aquila per *νοβηλας* novilunium transtulit. Symmacho & Theodotione per *μηνᾶ* mensem reddentibus. Qui vero novilunio potest tribui vis comedendi & consumendi bona populi Judaici? Dicit Hieronymus sensum esse per singulos menses hostis adveniet & cuncta vastabit, præ-
poste-

postera explicatione cum nihil in textu vel de *hostibus* vel de *singulis mensibus* extet. Alii alia meditentur æque feliciter. Elegantior multo videtur Græcorum sententia interpretum: Νῦν καταφάγεται αὐτὰς ἡ ΕΡΤΙΒΗ καὶ τὰς κλήρας αὐτῶν. Qualis enim quantaque *rubigo* divinæ iræ vindictæque testis sit, luculenter satis explicuimus, qua certe nulla tetrior pestis prædicii potest. Vide §. 15. Qui autem ex vulgata S. Codicis lectione elegantem adeo sensum excusseris? Grotius in notis ait: *Græci non שרן legerunt sed לידן ut hic notat Hieronymus.* Verum (a) discrepantes litterarum ductus, quo ita Græcos legisse credamus, adversi sunt. Neque (2) id Hieronymus dixit cujus hæc verba sunt *Pro eo nos diximus mensis LXX. rubiginem transtulerunt, cum utique RUBIGO i. e. ἐρυσίβη לידן appelletur: ut ipsi quoque dixerunt in Propheta Joël: RELIQUIAS BRUCHI COMEDET RUBIGO.* Non itaque dicit eos ita legisse, sed ἐρυσίβην alias iis esse לידן. Proinde (3) notandus est auctor qui in *Bibl. Critic.* editione verba Hebraica Græcaque latinis vocibus transtulit, qui in Grotii verbis לידן per *Bruchum* explicat plane contra mentem viri summi. Puto tamen me in natales hujus discrepantiæ penetrasse. Codex enim *vetustissimus* quo Græci usi sunt, pro ך habuit ך legitque שרן. Nihil frequentius esse in S. Codice quam has ductu affines confundi litteras eximii Capelli

aliorumque Criticæ animadversiones abunde docuerunt. Frequentissime nec minus ea confusio in his ipsis vocibus חרש & חרשה oborta est. 1. Sam. X: 7. pro כמחריש lectum fuit in codice Græcorum interpretum כמחריש utpote quia חרש mensis reddunt; ὡς καὶ τὰ μῆνα. Aequè 1. Sam. XXIII: 16, 19. pro חרשה illis scriptum extitit חרשה. Reddunt enim καὶ νῆν novam quod notat quidem חרשה non autem חרשה. Similem in modum alteræ illæ permutatæ sunt cum verbum חרש reddunt καὶ νίζω & ἐγκαὶ νίζω renovo, (quod est a חרש novus) Zeph. III: 18. Es. XVI: 11. XLI: 1. XLV: 16. Sic & pro אחר post habuere in suo codice אחד unus, reddentes vocem per אֶחָד. Amos. VII: 1. Utiautem חרש in omnibus significationibus vim violentiorem admixtam indicat, uti cum de destructione, aratura, opere fabrili &c. usurpatur: Ita & indicat æstus maximam vim omnia adurentem, quo ipso appositum hoc vocabulum esse robigini, quæ solis calore oritur exquisitissimo, pervidemus. Sic Jonæ IV: 9. רוח חרישוח est ventus quo juvante omnia solis æstusque gravedine exuruntur, unde Græcis explicatur πνεῦμα ΚΑΙΣΩΝ ΣΥΡΚΑΙΩΝ ardentissimus summeque adurens, respondens שרפין Amos. IV: 9. qui ventus maxime impedit quo fruges ad maturitatem perveniant, unde frugibus rubigo oboritur. Vide Hebræos & Grotium. Habet enim חרש vim intendendi acutissimam, unde & חרש cberes

ōgūs acutus redditur Jobi XLI: 22. Quod
 ipsum ex חרץ apparet, voce quæ ab hac ipsa
 חרץ non significatione sed orthographia di-
 versa est permutatis sibilantibus. Eadem enim
 & de rebus *acutis* usurpatur uti pro *συτέμνω*
concido in partes Es. X: 23. Dan. IX: 2. & חרץ
 pro *ascia* 1. Paral. XX: 3. & pro *Serra* Amos. I: 3.
 ut ex Græcis apparet illam *σάτραγον*, hanc
πίων reddentibus. Idem ex ejusdem origi-
 nis patet vocabulo חרם *cheres*, qua *γερφίς*
acutior stylus indicatur Exod. XXXII: 4. Esaiæ
 VIII: 1. Eandem enim vocem esse חרם &
 חרץ ex Jerem. XIX: 2. manifestum ubi vox
 חרם ad præcedentem חרץ *ἄστρον* v. i. al-
 ludit. Observa igitur hanc ipsam vocem
 חרם nonnunquam ipsum solem hujus ardoris
*rubiginis*que causam, indicare, ut Judic. XIV: 18.
 VIII: 13. Jobi IX: 7. nec minus ut in *segetibus*
arboribusque morbum *adurentem*; ita & in *ho-*
minibus huic parem qui Græcis *αυήθη*, latinis
Prurigo dicitur, quali Jobo vexatus fuit Cap. II:
 8. eumque Deus Judæis immissum iri minatur
 Deuter. XXVIII: 27. Eleganter igitur חרץ
 indicabit *έρυσιβην* *rubiginem* uti & verbum חרץ
 per *αιχρόνομαι* redditur *erubesco* Prov. XX. 4.
 Nam *έρυσιβη* & *rubigini* a *rubro* colore nomen
 esse. §. 9. monuimus. Inde etiam *aurum* ob
 colorem *rufum* vocari חרץ *charuz* Jobi XLI:
 22. Psalms. LXVII: 14. & passim in prover-
 biis, auguror. Eadem quippe de causa au-

rum לָרָבּ vocari apud Jobum XXII: 24, 25.
ob rubrum, quem nactum est, colorem, alibi
observavimus.



II.

Jo. Georgii MICHAELIS
in parabolam de Phariseo
& publicano

ad Luc. XVIII: 9-14.

commentationis Pars altera.

ARGUMENTUM.

Expenditur fundamentum expositionis mysticæ, quam
D'Outreinius in hac parabola sibi invenisse videtur
§. 1. Certiores hypotheses illius proponuntur §. 2.
Christianos primi temporis non unius generis fuisse,
alios ex gentibus, ex Judæis alios conversos, quorum
hi justitiam operum urgebant §. 3. (I) Phariseus
hic sustinet emblemata Christianorum Judaizantium,
publicanus Christianorum ex gentibus conversorum
§. 4. per adscensum in templum intelligendum esse
concilium Hierosolymitanum §. 5. licet autem
Christiani ex Judæis omnem operam navarent, ut
gentes conversæ a communione ecclesiæ exclude-
rentur, nisi jugum legis susciperent, tamen in liber-
tate sua sunt confirmatæ §. 6. (II) Phariseum re-
præ-

præsentare Donatistas, publicanum vero orthodoxos in Africa §. 7. licet autem communionem redintegrare adniterentur orthodoxi, omni tamen effectu caruit §. 8. 9. Donatistæ summam animæ elationem præ se ferebant, Pharisei e contrario humilitatem testabantur §. 10. quare factum ut orthodoxi justificati fuerint; Donatistæ autem causa sua ceciderint §. 11. proponuntur generales hypotheses III. sensus mystici §. 12. per Phariseum effigiari pontificios §. 13. publicanum repræsentare ecclesiam protestantium §. 14. per adscensum in templum intelligi concilium Tridentinum §. 15. Pontificios in illo vitia sua vel occultavisse vel imminuisse, protestantes vero multis criminibus oneravisse. §. 16. totam fere Pontificiorum religionem in observatione externi cultus consistere §. 17. protestantes e contrario justitiam divinam adgnoscebant, seque peccatores sola fide justificandos profitebantur §. 18. hinc factum est, ut hi justificati in domum suam descenderint, i. e. in religionis suæ professione fuerint confirmati. §. 19.

§. I.

IN priori hujus dissertationis parte, quæ in hac Bibliothecæ hujus Classe, ejusque fasciculo III. p. 422. sqq. locum invenit, de sensu literali hujus parabolæ actum est. Quoniam autem Christus istiusmodi docendi genere est usus, quo res abstrusiores atque altiores similitudinibus a rebus familiaribus desumptis illustraret, operæ pretium erit, explicationem mysticam subjungere. Cl. D'Outreinius hic delineationem status Judæorum atque Christianorum sibi invenisse visus

est, quorum illi justitiam propriam urgebant, hi vero ad misericordiam divinam ac gratiam in Christo sospitatores manifestatam unice refugiebant. Quæ hypothesis generatim accepta, licet a scopo, quem Christus hoc suo sermone intendit, non omnino sit aliena, gravestamen obstant rationes, quo minus eidem subscribere possim. Qui quæso dici potest, Judæos una cum Christianis templum precandi ergo petiisse, sacrorum communionem cum iisdem in precibus professuros? cum constet, illos hos odio plusquam Vatiniano persecutos fuisse, gravissimasque adversus illos persecutiones excitasse. Nec juvat dicere, Christianos ex Judæis conversos templum adiisse & ad usque everisionem urbis atque templi ritus Judaicos una cum professione fidei Christianæ sectatos fuisse; est enim res omnino in propatulo, illos sacris Judaicis exclusos fuisse, quamprimum fama dimanavit, ipsos Christo nomen dedisse suum, vel ficto Judæorum nomine communia sacra coluisse. Quod ut ex indubia Christi prædictione Jo. XVI. 2. Coll. XII. 42. liquet, ita eventus omnino comprobavit, quod ex apostolorum actibus elucet. Accedit hos emblemate publicanorum effigiari non posse, namque hi non meram gratiam divinam sunt sectati, sed gratiæ merita operum, sive justitiam legalem adungere sunt annisi.

§. 2. Aliam igitur explicationis viam ini-
turi,

turi, existimamus, heic insignes & illustres maxime casus, quorum alius alius quasi præ- ludium, a Christo digito quasi indicari, quibus superbia & propriæ justitiæ fiducia in publicis fratrum, confessionem fidei simul edentium, conventibus, fuerit demonstrata. Offerunt igitur sponte sua sese nobis *concilium primum Hierosolymitanum, motus Donatistici & conventus publici ea de re instituti, denique vero Pontificiorum adversus Protestantes molimina ac concilium Tridentinum*, eo consilio convocatum, ut Protestantium doctrina condemnaretur ac propria justitia solum imponeretur. In quibus certe conventibus alii ὑπεροχην, alii contra ἁπειροφροσύνην suam luculentis iudiciis prodiderunt. Sed vero ne hypothesein hanc vel temere effinxisse, vel præter rationem arripuisse videar, singula rerum momenta explicatius tradam & cum sermone Christi componam, quo ipso opere adpareat, me eandem ex hac ipsa parabola elicuisse, neutiquam vero intulisse.

§. 3. Prius autem quam ad primum membrum expositionis mysticæ accedamus, præmonendum est, primi temporis Christianos non unius fuisse generis, alii quippe ex *Judeis*, alii ex gentibus secundum Prophetarum vaticinia se Christo adjunxerant. Quamdiu enim Apostoli Hierosolymis hæserunt, (quam 12. annorum moram fuisse ex antiqua traditione plurimi existimant) credentes ex Judæis

collegerunt; quorum plurimi cum Pharisaicis opinionibus imbuti essent. Act. XV. 5. non solum ipsi cultum Mosaicum cum adjunctis caerimoniis observaverunt, verum etiam gentes ad Christum adducendas, servituti legum caerimonialium subjiciendas esse, existimaverunt. Qui intempestivus Judaizantium zelus, infirmitati fidei subnixus, cum non le- vem religioni Christianæ remoram injiceret, apostoli nihil antiquius duxerunt, quam ut hæc ipsa causa in publico conventu disceptaretur. Quem in finem concilium Hierosolymitanum fuit celebratum, in quo quæstio illa plenius fuit discussa, atque definita: *conversos ex gentibus a jugo legis Mosaicæ liberos ac immunes esse declarandos.* Act. XV. 19. 23. 29. Quæ sententia licet communibus Apostolorum suffragiis fuerit confirmata, non tamen defuerunt futuris temporibus, qui ecclesiis Christi molestias facefferent, id unice agentes, ut & gentibus ad Christum conversis legis Mosaicæ jugum imponeretur. Quorum molimina ac clandestinos conatus, Paullus in sua ad Galatas epistola detexit, ab eorundemque fraudibus libertatem Christianorum firmissimis argumentis defendit. Homines illi sequenti tempore nomine *Ebionitarum*, a paupertate sic dictorum, innotuerant, qui, teste *Theodoreto* *Ἐπι τοῦ αἰρητ. κακομυθ. p. m. 97.* edit. Rom. vitam suam secundum legem Mosaicam composuerunt, evangelium secundum *Ebre*

Ebraos (ex traditionibus apostolorum forsitan compositum ac mire interpolatum. vid. *Grabius Spicil. patr. T. I. p. 15. seqq.*) recipientes *Apostolum Paulum* autem defectorem adpellitantes. Quorum hominum superbiam a Christo in hac parabola notatam esse, mihi est persuasissimum, quod ex instituta comparatione ulterius liquebit.

§. 4. Phariseus igitur hac in parabola symbolum Christianorum, ex Judæis ad Christum converforum justitiam operum una cum professione fidei urgentium, commode sustinere potest. Qui enim hoc animo adfecti fuerunt, ex *secta Phariseorum* erant Act. XV. 5. quorum sententiam sua agendi ratione expresserunt, quare apostolus ipsos *ὑπερβειβωσ* Gal. II. 13. insimulat. *Publicanus* repræsentat Christianos, qui ex innumera gentium multitudine primis Christianismi temporibus nomina Christo dederunt, propriam justitiam abnegantes, ac merito sospitatoris sui sanguine parto unice nitentes. Ut enim Christus, quamdiu in his terris est versatus, a Phariseis horumque discipulis *τελωνων φιλοσοφου και αμαρτωλων* Matth. XI. 19. Luc. VII. 34. est dictitatus; quid mirum, gentes abnegata propria justitia, sancta fide Christo adhærentes, a zelotis eodem numero habitos fuisse. Erant enim *ἐξ ἔθνων αμαρτωλοι* (gravissimis peccatis idololatriæ ac concupiscentiarum olim immerse) Gal. II. 15. *τελωνων* autem &

ἀμαρτωλοὶ pari passu apud Judæos ambula-
bant Matth. IX. 11. XI. 19. Marc. II. 15. 16.
Luc. V. 30. VII. 34. ut taceam publicanos
æque ac gentiles abjectos & contemptos fuisse
Matth. XVIII. 17.

§. 5. *Adscenderunt* autem hi duo *Pharisæus*
& *publicanus in templum precandi ergo. Paulus*
apostolus gentium, comitantibus *Barnaba &*
Tito Hierosolymam adscendit Gal. II. 1. Act. XV.
2. causam conversarum gentium acturus, ne
onere legum cærimonialium gravarentur.
Licet enim probari omnino non possit, hunc
conventum in templo Hierosolymitano cele-
bratum fuisse, tamen per *templum* hic ipse
conventus non immerito intelligi potest.
Fuit templum locus sacer, in quo quotquot
Deum præsentem venerabantur, convene-
runt. Ecclesia Christi, sive conventus sa-
crorum causa institutus, hoc nomen longe
ampliore jure meretur, cui Deus ipse præsens
est Matth. XVIII. 20. adfuerunt præsides &
rectores ecclesiarum οἱ ὑποτακτοὶ καὶ οἱ πρεσ-
βυτεροὶ Act. XV. 6. quinquod ex v. 12. licet
colligere, ipsa plebs sacra. Quæ causa etiam
fuit, quare apostoli & presbyteri & fratres ec-
clesiæ Hierosolymitanæ v. 23. decretum hoc
in concilio promulgatum, Spiritus sancti au-
ctoritate communiverunt v. 28. Cum au-
tem conventus hic in nomine Spiritus sancti
fuerit congregatus, nullum est dubium, quin
hic ipse præviis precibus fuerit inchoatus; ut
ta-

taceamus, gloriam divinam gentibus in eandem conversione exhibitam luculentis laudum encomiis exornasse certum est omnino, egregiam fidei confessionem edidisse:

Δὲ τῆς χάριτος κυρίας Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστευόμεν
σωθῆναι, καὶ ὃν τρόπον κακεῖνοι V. II.

§. 6. Sed vero Phariseus hic superbia ac animi elatione ductus seorsim precabatur. Zelotæ omnem lapidem moverunt, ut conversi ex gentibus sacris excluderentur, acres sibi suas haberent, nisi circumcisionis signo ad observationem legis carnalis sese obstringerent Act. XV: 1. 5. Exponebat autem Phariseus in precibus suis merita sua legi cærimoniali maxime subnixa, è contrario vero publicanum multis cõvitiis proscindebat, indignum, quicum aliquis communionem colat atque exerceat. Sic Christiani ex Judæis suis privilegiis ac puritate legali freti, Christianos ex gentibus tamquam impuros peccatores abominabantur, & licet divortium illud concilio Hierosolymitano sublatum esse videretur; nihilo tamen minus malum postea gravius recrudit, ut vel ipse Petrus Zelotarum offensionem veritus, noluerit amplius cum conversis gentibus cibum capere Gal, II: 12. quo ipso communioni, amicitiaè omni ac intimæ familiaritati nuntius mittebatur I. Cor. V: 11. Verum enimvero licet falsi fratres non desisterent, ecclesias gentium proscindere ac turbare, nihilo tamen minus pro-

providentia divina ita moderante fuit effectum, ut *justificati in domum suam descenderint, non illi*. Paullus etenim Hierosolymis redux ecclesias gentium ex concilio decreto in libertate à lege Mosaica, quam ipsis dudum adnuntiaverat, confirmavit Act. XV: 28. 31. & licet post concilium non deessent, qui turbas dare pergerent, tamen apostolus & ore & scriptis illorum insultationes repressit. Plenissimam autem libertatem obtinuerunt, ac ipso opere ab impactis calumniis sunt vindicatae ecclesiae gentium, ipsa urbe atque templo everfis. Quod certe *Christianae fidei* plurimum proficiebat, quia tum pene omnes (Christiani ex Judæis conversi) *Christum Deum* sub legis observatione credebant. Nimirum id Domino ordinante dispositum, ut legis servitus à libertate fidei atque ecclesia tolleretur, verba sunt Sulpicii Hist. Sacr. L. II. C. XLV. pag. m. 364. 365, Quo ipso Deus ecclesiae suae rector evidentissime demonstravit, *superbos se deprimere, humiles autem atque depressos exaltare*.

§. 7. Hic igitur est casus primus, quem sermone suo Christum intendisse, in superioribus monuimus & argumentis, ni fallor, certis ac evidentibus demonstravimus. Proximum est, ut ad motus *Donatisticos* ac *conventus ea de re institutos* accedamus. In hac igitur comparatione *Phariseus* nobis repræsentabit *Donatistas*, quos constat intolerabili superbia inflatos, varia crimina, adversus ortho-
do-

doxos confinxisse eosdemque multis convitiis proscidisse, qua de causa orthodoxi heic nobis nomine *publicani* veniunt. Ortum autem traxit hoc schisma à Donato quodam, hujus factionis primipilo, quamquam ille semina divortii non sparserit, sed tamen quia inter suos doctrina ac sanctimonix opinione erat conspicuus, ab eodem adpellari maluerunt. Occasionem illi dedit *Cæcilianus* ecclesix Carthaginensis quondam diaconus, postea in locum *Mensurii* episcopus creatus, qui cum pro officii sui ratione vasa sacra tempore persecutionis Diocletianex Senioris cujusdam fidei à *Mensurio* credita reposceret, illius iram atque indignationem adversus se concitavit. Junxit se huic *Lucilla* foemina potens ac factiosa, quam Cæcilianus diaconus acriter quondam reprehenderat. Hi igitur communis adversus Cæcilianum odii socii episcopos quosdam Africae & Numidiae, nec non plebem sacram in partes suas pellexerunt, multis criminibus Cæcilianum onerantes, ac si tempore persecutionis gentilibus libros sacros comburendos tradidisset, nec minus à *Felice Aptungitano* traditore, inconsultis Numidiae episcopis ordinatus fuisset. Negarunt inde, se cum illo ac suae communionis hominibus ullam sacrorum communionem habere posse, quare coactis quibusdam Africae ac Numidiae episcopis Cæciliani electionem irritam pronunciarunt, inque il-

lius

lius locum *Majorinum*, nuper Lectorem, Lucillæ Domesticum, episcopum constituerunt. Schisma hoc favore principum, ac orthodoxorum mansuetudine tantas vires adquisivit, ut Donatistæ magnam Africae partem occuparint, ac omnia turbis atque factionibus impleverint. *Donatistis* contradistincti *orthodoxi* adpellati sunt.

§. 8. *Adscenderunt hi duo precandi ergo in templum, sæpius convenerunt, tentaturi num caritatis vinculum resarciri posset. Equidem eadem utrisque sacra, eadem doctrina, iidemque ritus fuere. Mira etiam benignitate in Donatistas orthodoxi sunt usi, qui licet ab illis calumniis ac atrocibus criminibus impeterentur, quin imo nonnulli orthodoxi ab illis crudeliter interficerentur, nihil tamen reliquum fecerunt, quod ad conjunctionem restituendam facere posset. Quæ conjunctio diversimode, sed tamen frustra, ab episcopo Romano Melchiade, imo ipso Constantino M. in concilio Arelatensi & postrema collatione Carthaginiensi fuit quaesita, Donatistis summa pervicacia huic salutari operi renitentibus.*

§. 9. Utut autem in diversis conventibus fuerint congressi, res tamen suas orthodoxis Donatistæ habere siverunt, ὁ φαρισαιος σαρδεις προς εαυτον ταυτα προσηυχето, nolebant iis tamquam impuris immisceri. Quare *Primitianus* Carthaginiensis, factionis Donatisticæ episco-

episcopus, cum ad collationem Carthaginien-
sem invitaretur, truci vultu respondit: indi-
gnum esse, ut in unum conveniant filii martyrum
& progenies traditorum. Cumque collatione
inita fratrum nomine comiter ac amice ad
confidendum ab orthodoxis compellarentur,
illi indignabundi responderunt: odi ecclesiam
malignantium & cum impiis non sedebo. Seorsim
igitur rem suam acturi steterunt, qua tamen
sua morositate, quod jamdum viris doctis
est observatum, multum causæ suæ deroga-
verunt. Existimabant enim omnes illos, qui
suæ communionis non erant, impuros ac
profanos homines esse, quare has quasi fu-
derunt preces: ὁ Θεὸς ἐυχαιῶσαι σοι, ὅτι ἐκ εἰμι ὡ-
σπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, ἀρπαγῆς, ἀδικοὶ, μοι-
χοὶ, ἢ ἡμεῖς ὡς ἕτος ὁ πλωτής. Odium in Cæ-
cilianum schisma peperit, superbia fovit,
ex schismate hæresis est enata: ecclesiam con-
stare ex solis perfectis, quales suos censebant;
nullibi in orbe terrarum esse præterquam in Africa
apud Donatistas, rebaptizandos esse, qui ad se
transirent a Catholicis. Quæ sane superbiam
eorum satis produnt. Dicendo enim suum
coetum solis sanctis constare, nec esse præter
se ullibi terrarum ecclesiam veram, certe signi-
ficabant id, quod Pharisæus eructabat, se non
esse ut reliquos homines, gravissimos peccatores. Reba-
ptizantes autem illos, qui a Catholicis jam-
dum sacro baptismatis fonte erant adpersi,
tanuebant profecto illorum baptismum ille-
gi-

gitimum fuisse, vel se solos internam gratiam externo symbolo significatam, conferre posse.

§. 10. Sed aliter longe adfecti erant orthodoxi, illi enim in doctrina Christi ac apostolorum perseverantes, in *humilitate* Deum suum colebant. Donatistarum molimina ipsos magis atq; magis incitabant ad sui ipsius abnegationem ac gratiæ divinæ implorationem. Ad hæc, utut Donatistæ ipsis insultarent, tamen ea omnia æquo animo sunt perpessi, modo illos hac benignitate lucrarentur, adque sui communionem reducerent. Cumque in collatione Carthaginensi Donatistæ Cæciliano objecta crimina læpius iterarent, orthodoxi per *συγκατάθεσιν* quandam non recusabant, hoc ultro largiri, quod tamen falso prætexebant Donatistæ, Cæcilianum fuisse traditorem. Ne tamen sic quidem ab ecclesia, quæ eum excommunicasset, desciscendum fuisse ajebant.

§. 11. Qua sua agendi ratione id effecerunt orthodoxi, ut *justificati descenderint in domum suam præ illis*. Cæcilianus enim, in quem omnium Donatistarum odia ac molimina erant conversa, in disquisitione ab episcopo Romano *Melchiade* instituta, innocens est repertus, usque adeo, ut testes a Donato inducti, confessi sint, se nihil habere, quod in *Cæcilianum* dicerent. Quare hic omnium suffragiis

innocens declaratus atque in episcopatu suo est confirmatus. Eundem exitum habuit altera criminatio adversus *Felicem Aptungitanum* episcopum ordinatorem instituta, ipsum traditorem esse. Re enim diligenter explorata ac jussu Imp. Constantini ab *Aeliano* proconsule *Africae* examini subjecta compertum est, *Felicem insontem, illiusque vitam nulla macula sordidatam esse.* Quare ille iudicio confecto ac sententia pronuntiata ad Imperatorem rescripsit: *Felicem religiosum episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum deiscorum manifestum est: quum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religiosissimas scripturas tradiderit.* At vero cum adversarii in sententia illa minus adquiescerent, rem ad Imperatorem deferendam curarunt. Ille vero, ut erat pacis amantissimus, episcopos quosdam *Arelati* convocavit, quibus ipse adfuit. Re diligenter pensitata, *Aeliani* sententia est confirmata, *Cæciliani* innocentia omnium antistitum calculo comprobata; inque sede sua est confirmatus. Ut taceam, decreta *Honorii*, quibus furor ac truculentia Donatistarum est repressa. Sed memoranda maxime collatio orthodoxorum cum Donatistis jussu *Honorii* a. *CCCCIX.* Carthagine instituta, in qua Donatistæ convicti causa sua ceciderunt, adeo ut a *Marcellino* hæc sententia fuerit perscripta: documentorum manifestatione à Catholicis Donatistas fuisse superatos. Quapropter jussi sunt

BASILICAS sibi à Marcellino ad diem usque
sententiæ indultas Catholicis *sine ulla dilatione*
TRADERE.

§. 12. Progredimur ad *tertium* momentum
sensus mystici, qui in hac parabola latet. In
quo evolvendo has nobis hypotheses forma-
vimus. (α) Per duos istos homines in tem-
plum precatum adscendentes intelligimus
certas quasdam hominum societates ad cele-
brem quandam congregationem, fidei ac vi-
tæ suæ confessionem edendi contententes.
Proinde. (β) *Phariseus* erit ecclesia Pontifi-
cia antiquitate, gloria, sanctitatis opinione
ac aliis privilegiis innixa. (γ) *Publicanus* Eccle-
sia Protestantium, quæ justitiam fidei pro-
fessa, multis usque gravissimis criminibus a
Pontificiis onerata ac fere oppressa. (δ)
Templum concilium Tridenti congregatum,
ad quod precandi i. e. religionis communio-
nem profitendi ergo & Pontificii & Prote-
stantes convenerunt; illi quidem doctrinam
suam confirmaturi ac justitiam operum stabi-
lituri, hi vero variis li. et artibus ac Ponti-
ficiorum machinationibus exclusi, tamen non
recusarunt, quo minus quidam eorum prin-
cipes legatos eo dirigerent, suæque fidei con-
fessionem exhiberent. Sed vero (ε) quam-
quam Pontificii omni opera atque studio con-
tenderunt ut Protestantes ab ipsis & ante &
in ipso concilio Tridentino, horrendis anathe-
matum fulminibus percussi, non solum sa-
cris

cris excluderentur, verum etiam, si fieri posset, omnino exterminarentur; tamen impedire non potuerunt, quo minus *justificati in domum suam descenderint*. i. e. moderante ita divina providentia vel ab ipso Pontifice Romano & qui ab ejus partibus erant, plenissima religionem suam profitendi libertas ipsis fuerit concessa. Quæ ab exiguis primo initiis ortum trahens, in transactione *Passaviensi* ac demum in pace *Monasteriensi* plenissime fuit confirmata. Quæ generatim proposita in seqq. sigillatim & per partes exsequemur.

§. 13. Pontificios in plurimis Phariseos imitari, eosdemque illorum emblema sustinere posse *Molineus* in de novit: *Papismi L. I. Cap. XV. num. 5.* prolixius adseruit. Nos ea tantum in medium proferemus, quæ ad institutum nostrum faciunt, ne hypothesein temere amplexos fuisse videamur. Primo quidem Pharisei nomen suum inde acceperunt, quod se a reliqua turba, quam^o imperitam ac minus sanctam existimabant, separaverunt, clavem cognitionis occultantes *Luc. XI: 52.* Idem spiritus superbiæ in Ecclesia Pontificia se manifesto prodit. Nam a quo tempore sedes Romana super omnes alias orbis Christiani ecclesias caput suum extulit; summam ac nullis fere limitibus definitam potestatem docendi, regendi moderandive ecclesiam Christianam sibi vindicavit, Pontifice in rebus fidei infallibili declarato. Pontifex & qui res sacras inter ipsos administrant,

vestibus, cælibatu ac reliquo vitæ genere à
 laicis fere sunt distincti. Plebs sacra negli-
 gitur ac opprimitur, indigna quæ sacras li-
 teras legat, multo minus ad earundem in-
 telligentiam tractet, omnem fidei explicatio-
 nem à Pontifice ac Clericis expectans; indi-
 gna quæ calicem in sacra cœna accipiat, ne,
 quam rationem inter alias patres Tridentini
 allegant, *patri cum sacerdotibus dignitate con-*
situantur Sarpus Hist. Conc. Trid. pag. m.
 609. Quinimo illi omnes, qui Pontifici ser-
 viunt, certo quodam signo a reliquis sunt
 separati; gestantes signum bestię in dextra
 ac frontibus suis Apoc. XIII. 16. 17. XIV. 11.
 contradistincti illis, qui nomen patris sui scri-
 ptum habent in fronte sua Apoc. XIV. 1.
Secundo Pharisei traditionum patriarum,
 quas legem non scriptam adpellabant, scriptu-
 ræ contradistinctam erant observantissimi. Sic
 pariter Pontificii traditiones, quas à Christo,
 apostolis eorundemque discipulis se accepisse
 dicunt, jactitant, ac pari animi adfectu cum
 ipsis scripturis amplectandas esse dicunt. *Ter-*
tio Pharisei gloriabantur cathedra Moysis, cui
 tamquam doctores publici ac populi iudices
 insidebant Matth. XXIII. Sic pariter Pontifi-
 cii crepant cathedram Petri, de qua si pon-
 tifex tamquam doctor universalis quidpiam
 pronuntiet, illud pro certa ac infallibili fidei
 atque morum regula accipiendum esse con-
 tendunt. *Quarto* Pharisei in externis ritibus

ac cærimonis omnem fere religionem constituebant, virtutum ac pietatis exercitium negligentes: decimabant mentham & anethum & cuminum & omittebant, quæ graviora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem Matth. XXIII. 23. Idem Pontificii faciunt, observant accurate distinctionem ciborum atque temporum, populum in externis cærimonis occupatum tenent, diebus festis, quas humana constitutio invexit, peregrinationibus religionis ergo suscipiendis, non vero eundem erudiunt de via salutis, justificatione hominis peccatoris sola fide, gratia divina in remittendis peccatis, occultantes ipsi doctrinam. Quinto Pharisei minus recte sentiebant de gratia divina auxiliante, vires liberi arbitrii nimium extollentes. Pontificii si non hanc ipsam sententiam ab illis mutuaverunt, saltim eorundem vestigia premunt, docentes: hominem non solum suis meritis aliquid sibi mereri posse, verum etiam residuum eorum nutu Pontificis ac episcoporum in aliorum gratiam dispensari posse. Quantum autem viribus liberi arbitrii tribuant, canon ille patrum Tridentinorum docet: *justificationis exordium in adultis a gratia Dei preveniente proficisci, quæ excitat, ut se disponant ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere adsentiendo & cooperando; quod libera sua voluntate faciunt, quippe qui & illam possunt repudiare* Sess. VI, Can. V. Sexto notatur in Pha-

risæis vehemens adfectus extraneos ad ecclesiam Judaicam convertendi; non vero ad veram infucatamque pietatem reducendi: circumibant mare & terram, ut facerent unum profelytum & cum fuerit factus, faciunt eum filium gehennæ duplo magis quam ipsi sunt Matth. XXIII. 15. Pontificii nulli operæ parcunt, quo pomœria ecclesiæ suæ extendant ac Pontificis amplitudinem novis accessionibus augeant, homines non Christo, sed sibi ac Pontifici Romano subjicientes. Quod ita esse, vel solus Bonifacius, strenuus ille pontificiæ majestatis adsertor, suis moliminibus satis probare potest, qui ut totus fuit in gentibus Pontifici subigendis, sic etiam jurisjurandi religione se totum Pontifici addixit: Per sacratissimum Petri corpus jurans, se Catholicæ fidei (qualem tum Roma profitebatur) in qua omnis esset Christianorum salus, fore adsertorem; utilitatibus Pontificis, Petri vicarii, fidem omnem suam, omnemque obedientiam exhibiturum, antistites omnes adacturum, in easdem leges & quæ sequuntur. Alias comparationes, quæ inter Phariseos & Pontificios institui possunt, studio prætermittimus.

§. 14. *Publicanus* delineare potest ecclesiam protestantium, qualis fuit in primis suis initiis. Nec dedecori esse potest illis emblemate publicanorum proponi, cum vel ipse Christus peccator & Apostoli expurgamenta mundi fuc-

fuerint habiti. Sustinere autem possunt symbolum publicanorum vel ratione doctrinæ, qua omnem justitiam propriam excludunt, Deique gratiam prædicant, vel respectu iniqui iudicii ac opinionis adversariorum, qua ipsos vel gravissimos peccatores declaraverunt. Ita hic publicanus, quem Christus in parabola nostra præsentem sistit, habetur a Phariseo peccatorum omnium gravissimus; quin imo ipse nulla suorum meritorum dignitate nixus, ad solam gratiam divinam refugit. Quare qui sacra repurgata sectantur, publicani emblemate effigiari possunt, (1) ratione confessionis fidei suæ, qua se ipsos totos peccatores, nec quidquam ex se ipsis absque gratia divina efficere posse, coram Deo profitentur, salutem suam, justitiam & vitam ex misericordia divina unice expectantes. Tales autem, si non ipso opere, saltim sensu & affectu esse peccatores, imo peccatorum gravissimos, nemo facile negabit, est tamen istiusmodi confessio, cum humilitate conjuncta; proxima ad conversionem via Jo. IX: 41. (2) Quia ab adversariis suis Pontificiis peccatorum gravissimi habebantur, indigni, quos vel cælum reciperet, vel terra ferret, sed igne atque ferro excindendi, inque orcum detruendi. Sic *Hadrianus VI.* qui tamen inter bonos Pontifices optimus habetur, Lutheri doctrinam adpellare solitus est *solidam, insipidam, rationis expertem, judicavitque neminem nisi*

simplicem & sensus inopem ad eam accessurum. In litteris ad Electorem Saxoniae scribit, Lutberum esse hominem fanaticum, impiis insanisque commentis omnia conturbantem, doctrinam sanguine martyrum, sanctorum doctorum vigiliis ac tot fortissimorum principum armis firmatam a radicibus convellere conantem. Principes Germaniae ab eodem per legatum suum Cheregatum ad eandem doctrinam extinguendam etiam hac de causa incitabantur; quod iisdem artibus utatur, quibus olim usus Mahometes exsatiandis carnis cupiditatibus frena laxans, licet ad efficacius fallendum majore in speciem moderatione; Criminabantur protestantium principes, illos non pietatem spectare, Dei que cultum, sed ecclesiasticorum bonis inhiare & dominium absolutum querere ut excusso Pontificis imperio, imperatoris etiam jugo, quo poterunt, colla subducant. Sic pontifices continuis suis precibus tandem effecerunt, ut Imp. Carolus V. cum protestantibus bello implicaretur, quo sic illi, quod fraudibus atque artibus suis non poterant, extirparentur.

S. 15. Adscenderunt autem Hierosolyma Pharisaeus pariter atque publicanus precatum. Per ingressum in templum intelleximus supra sacrorum ac fidei societatem, quam templum una ingredientes profitentur. Preces autem, quas fundunt, significare possunt, fidei confessionem, quam religiosi edunt, in qua aequae ac in precibus gloriam gratiae divinae agnoscunt. His ita positis, per aditum templi Hierosolymitani
sen-

sensu sublimiori intelligimus *conventum* quen-
 dam *illustrem* ac maxime conspicuum, ad quem
 & Pontificii & Protestantes fidei confessionem
 edituri, contenderunt. Ille autem sine du-
 bio non alius est, quam *concilium Tridentinum*,
 eum in finem institutum, ut dissidium inter
 pontificios & protestantes exortum dirimeretur.
 Verum equidem est, protestantium
 doctores concilio non interfuisse, sed hoc non
 sua, verum Pontificiorum culpa accidit, nec
 tamen, quod in seqq. demonstrabimus, suo
 officio omnino defuerunt, quandoquidem
 plures protestantium principes & legatos &
 doctores eo obligarunt, sed non æquo animo
 a patribus Tridentinis fuerunt excepti. Pro-
 testantes concilium numquam refugerunt, sed
 poscebant *Christianum, liberum, institutum in ali-*
qua imperii Germanici civitate, a Cesare indictum,
in quo nec Pontifex nec illius legatus presideret, sed
cuique liberum esset, fidei suæ confessionem edere &
liberum suffragiorum jus relinqueretur. Verum
 quoniam istiusmodi concilium rationibus Pon-
 tificis Romani maxime erat adversum, in alia
 omnia est itum, quin imo variis artibus effe-
 cerunt, ne protestantes eo venirent. Prius
 enim quam convocaretur, imperator Caro-
 lus V. instinctu pontificis bello cum protestan-
 tium principibus implicabatur, quo sic ipsi,
 rebus omnibus turbatis, rem suam soli agere
 possent. Ast vero rebus inter Imperatorem
 ac protestantes compositis, hi quo animum

a pacis ac veritatis studio minime alienum demonstrarent, partibus suis hautquaquam defuerunt. Saxoniæ Septemvira, 1551. a theologis suis confessionem concilio Tridentino exhibendam conscribi ac *Lipsiæ* examinari iussit, elegit etiam Melanchthonem, qui eo mitteretur. Idem fieri præcepit Dux Virtembergicus, sed vero cum legati confessionem exhibere vellent, minus æquam responsionem a Cardinale Tridentino tulerunt: *Neutiquam tolerandum, respondente, ut vel ipsi, vel alii protestantes scripto doctrinam suam offerre, multoque minus eam propugnare cogitent, quod ita nullus esset futurus contentionum finis ac modus. Patrum quidem esse, quamviseque rationem tenuerint, prosequi, in doctrinae libris petita examinanda pergere, damnatis, qui occurrunt, erroribus. Si quid difficultatis occurreret protestantibus, modo id modeste proponant, neque se difficiles ad salutarem doctrinam addiscendam præbeant, synodum ipsis instituendis non desuturam. Se certenumquam concessurum, ut patres ad eorum doctrinam recipiendam convocentur, neque de hac sententia, etiam si vita hoc nomine ponenda sit, decessurum.* Sarpus Hist. concil. Trid. L. IV. pag. m. 419. Nec minus advenerunt legati *Argentinsium* & aliarum civitatum, communem causam cum Virtembergicis acturi. Sub initium a. 1552. pariter advenerunt oratores Saxonici, qui, de modo in concilio servando & securitate suis doctoribus præstanda, cum legatis Pontificiis

ege.

egerunt, nuntiantes, Theologos in via expectare, adfuturos, quamprimum nuntium acceperint de securitate ipsis præstita. Utriusque legati concilio admissi leges exponunt, quibus cum ipsis conferre volebant. Sed vero tantum abfuit, ut Tridentini patres, quod protestantium legati cupiebant, ante acta retractarent, ut potius omnia majori sollicitudine accelerarent, quo protestantes vel ab itinere Tridentum directo deterrerentur, vel eo profecti operam luderent, controversiis omnibus jam decisis. Advenerunt etiam non ita diu post quatuor Vir: enbergensium & duo Argentinensium Theologi, sed vero quoniam Pontificii actionum initium dato studio differabant & interea temporis Mauritius bellum adversus imperatorem redintegrabat, plerique patres discesserunt, quo factò etiam ipsi Theologi abierunt. Certum igitur est protestantes concilium Tridentinum numquam refugisse; tantum liberum ac Christianum esse voluerunt, in quo ipsi bona cum conscientia fidei suæ confessionem edere possent.

§. 16. Verum ὁ φερταύς αὐτῶν πρὸς τὸν ταύτῃ πρεσβυτέρω. Animadvertente pontifice ac purpuratorum senatu de protestantibus ad obsequium Romanæ sedis redigendis, spem omnem decoliatam esse, magis e re sua fore arbitrabantur pontificii, si seorsim exclusis protestantibus precarentur i. e. concilium celebrarent. Quod si enim hi admitterentur facile

le prævidebant, nullum ecclesiæ Romanæ caput ita fore tutum, quod disputando non excuterent, auctoritatem sedis Romanæ sartam tutam manere non posse, si illis suffragiorum jus concederetur, qui antea jamdum hæreseos infamia essent notati ac sacris exclusi. Quare patribus Tridentinis deliberantibus, num protestantes admittendi essent, in eam pedibus iverunt sententiam: *Habendos esse ut hereticos, extra ecclesiæ communionem ejectos, damnatosque, quibus cum nullum licet habere commercium, nisi vel ad instituendum, si submissè requirant, vel ad condonandum & gratiam faciendam.* Inde factum, ut licet imperator & reliqui reges ac proceres orbis Christiani indefinenter instarent ut protestantes, quorum gratia concilium institutum, admitterentur, abusus ecclesiæ Romanæ, qui causa divortii extiterant, emendarentur, nihil tamen impetrare potuerunt. Nævos suos extenuarunt vel omnino defenderunt. Protestantes vero eorundemque dogmata diris devoverunt, profitentes quasi
 ὁ Θεὸς εὐχαριστῶ σοι, ὅτι ἄκ εἶμι ὡσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων. Communis omnium fere tum temporis erat querela, ecclesiam Romanam adeo esse corruptam, ut in capite pariter ac membris esset reformanda. Eam corruptionem esse causam divortii inter protestantes & pontificios exorti, viri pii ac prudentes haut temere conjiciebant. Quod ipsum etiam Hadrianus VI, ingenue est confessus, sed haut
 mul.

multum gratiæ a proceribus aulae Romanæ retulit. Successores ipsius aliam longe rationem inierunt, qui, licet gravibus criminibus ecclesia Romana esset onerata, tamen illa omni ratione occultaverunt, & licet mandato cæsaris regis Galliæ ac aliorum principum Europæ episcopi Galli, Hispani ac Germani de aula Romana ac ecclesia emendanda, cogitarent, tamen vel iram pontificis veriti, a proposito destiterunt, vel clamoribus Italarum ac pontificis parasitorum sunt obruti. Quando igitur pontificii culpam suam, quam maxime poterant, vel negaverunt, vel occultaverunt, non injuria dici potest, ipsos sese insontes in conspectu Dei, ejusdemque spiritus, cujus auxilium identidem invocabant ac concilio adesse præ se ferebant, ab objectis criminibus pronuntiavisse. Ad hæc verba ista ὁ Θεὸς εὐχαριστῶ σι. ὅτι ἐκ εἰμι ὡσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων ita accipi possunt, ut digitus intendatur in pontificiorum doctrinam de viribus liberi arbitrii absque gratia divina & operum bonorum exercitio ad salutis æternæ possessionem. Qua in parte omnino conveniunt cum Phariseis, quorum sententiam superius excussimus. Sic pariter pontificii, illos anathematis fulmine percusserunt, qui dicerent: hominem sola fide justificari. Quam faciles igitur fuerunt in relevandis propriis vitiis, tam acres fuerunt in aliorum vitiis sive veris sive confictis notandis. Homines
 reli-

reliqui, a quibus se in hac parabola distinguunt, sunt protestantes, quos infra dignitatem suam longe subsidere arbitrabantur. Videri equidem posset, per homines istos non speciatim certum quoddam hominum genus, v. gr. publicanos, sed generatim homines, quales sunt in peccatis suis & quibus præ aliis sunt conspicui, esse intelligendos; eos maxime quod his demum subjiatur, ἡ καὶ ὡς αὐτὸς ὁ τελωνῆς. Sed tamen ea vitia notantur, quæ in publicanis maxime animadvertebantur. Quare licet generatim ad peccatores graviores referri possint, tamen speciatim publicanis adcommo-
 dantur, ut ultima verba ἡ καὶ ὡς αὐτὸς ὁ τελωνῆς, ἐξηγησεως ergo subjungantur. Hinc in sensu mystico explicant pontificiorum sententiam, quam de protestantibus fovebant. Erant hi illis ἀρπαγες, ob bonorum ecclesiasticorum reformationem, quæ ad pios usus, quibus initio destinata erant, reducebant. Existimabant autem non tam pietatis ac vero religionis adfectu principes sacra pontificia abdicare, quam quidem ut bona ecclesiastica sibi vindicare possent. In ea vel invito, vel inconsulto pontifice manus immittere, à rapina ac sacrilegio, ipsorum iudicio, alienum non erat. Ἄδικοι, quia obsequium pontifici Rom. ac ecclesiæ debitum detrectabant. Μοιχοι denique ob conjugia, quæ clericis concedebant. Illum autem ex ecclesiasticis in manifesta im-
 puri-

puritate vivere, qui matrimonium contraheret, existimabant. Hinc canon ille concilii Tridentini: *si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica, vel voto & oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam noverint) habere donum, anathema sit.*

§. 17. Quæ sequuntur v. 12. quæque superius ad cultum externum & cærimoniale Judæorum retulimus, eodem etiam sensu spirituali referri possunt. Constat enim Pontificios haut parum fiduciæ in externa religionis opera, dies festos, peregrinationes & hujus generis alios ritus ponere, quos in concilio Tridentino adversus protestantium objectiones defenderunt, confirmarunt.

§. 18. Sed vero ὁ πλωνης μακροθεν ἔως εἰς ἠθελεν εἶδε τας ἐφθαλμας εἰς τον ἕρανον ἐπαραι, ἀλλ' ἐτυπλεν εἰς το σηθθ αὐτα λεγων. ὁ Θεθ ἰλασθητι μοι τω ἀμαρτωλω. Protestantes passim contempti ac deserti, etiam multis cladibus adfecti in Italia, Gallia, Anglia & Belgio de hostium quidem injuria ac violentia querulas ad Deum emisissent voces, simul vero Dei justitiam in puniendis peccatis suis, animo humili adgnoverunt. Quare divinis judiciis humiliati spem solam ac fiduciam in Deo potentissimo ecclesiæ suæ vindice reposuerunt, cali-

calidis ipsum precibus fatigantes, ut sui misereri & justam causam suam tueri vellet. Vel etiam verba illa sensu mystico intelligi possunt de doctrina, quam protestantes passim in cætibus, ac conventibus suis profitebantur, confirmabantque, opposita turgidæ illi pontificiorum doctrinæ de bonorum operum meritis ac virium arbitrii humani efficacia. Se sc. non esse, nisi miseros peccatores, queis spes hæreditatis cælestis non esset, nec Deum patrem adpellare possent, nisi gratia ac misericordia divina infirmitati suæ succurrat.

§. 19. Posteaquam igitur uterque Pharisæus & publicanus preces absolverunt, Christus exponit, utrius oratio Deo fuerit accepta, λέγω ὑμῖν, inquit, κατεβη ἕως δεδικαιώμενος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ εἶπεν. Pontificii, qui omnibus viribus contendebant, ut protestantes ad obsequiū Romanæ ecclesiæ redirent, causa sua ceciderunt; è contrario vero moderante ita providentia divina factum, ut horum res mirum in modum aucta, ipsisque tandem publica religionem suam profitendi libertas fuerit concessa. Habebant equidem domos suas, i. e. ecclesias ac cætus in variis Europæ partibus, sed verendum erat, ne obreptionibus ac vi adversariorum expellerentur; necessum igitur erat, ut publico iudicio justificarentur, i. e. a criminibus ac calumniis liberi & insontes pronuntiarentur, inque

inque veræ religionis possessione confirma-
rentur. Notatu dignissimum est responsum,
quod quondam Lutherus archiepiscopo Tre-
virensi in comitiis Vormatiensibus dedit;
quærenti qua ratione malum ex religionis
divortio exortum tolli posset? se non me-
lius consilium suppeditare posse, quam quod
olim Gamaliel collegis dedit: *εαν η̄ εξ ανθρω-
πων η̄ βαλη αυτη η̄ το εργον ταυτο καταλυθησεται.
Ει δε οκ θεο ε̄σιν, ε̄ δυναθε καταλυσαι αυτη.* Sle-
idanus L. III. Certe Deus ipso opere demon-
stravit, protestantium causam justam, ponti-
ficiorum molitiones vero eos opprimere stu-
dentium injustas ac iniquas esse. Non pro-
ponemus heic rationes divinæ providentiæ in
illustri opere reformationis conspicuas, quas
docti viri passim adnotaverunt. Tantum
observabimus, quibus gradibus protestan-
tium libertas processerit, priusquam do-
mum justificati descenderunt. *Primum* fun-
damentum libertatis protestantium positum
est in comitiis *Spirensibus* a. 1526. agitatis, in
quibus procerum omnium suffragiis publice
fuit decretum, ut, usque dum haberetur conci-
lium liberum & universale in quadam impe-
rii civitate, *omnes principes & ordines in sua
quique provincia & jurisdictione, ita se gerant, ut
Deo & cesari adionum suarum possint reddere ratio-
nem.* Sed vero initia hæc fuerunt admodum
tenuia, nam quoniam confirmatio illius a
concilii definitione pendeat, omnino du-

bium erat ipsis, quid a concilio sperandum, metuendumve; hinc etiam factum, ut libertas ea in comitiis *Vormatiensibus* a. 1529. admodum fuerit restricta ac limitata. *Secundus* gradus vindicatae religionis notari potest in illo temporis articulo, quo protestantium confessio in publicis comitiis *Augustae Vindelicorum* a. 1530. celebratis, praesente imperatore ac imperii proceribus, praelecta ac alia civitatum fuit exhibita. Quo tempore protestantium doctrina a falsis adversariorum criminationibus publice fuit vindicata, ut plures veritatem religionis adgnoverint. *Matthaeus Langius* archiepiscopus Salisburgensis dixisse fertur: *missae reformationem videri sibi honestam, libertatem quibusvis cibis vescendi, esse naturae convenientem, imo postulationem eam, ut homines Christiani humanorum mandatorum onere liberentur, justam & equam esse: sed ut missellus monachus omnes reformet, id non esse tolerabile.* Quamobrem *Clemens VII.* illius temporis pontifex actionem illam, tamquam commodis suis minus proficuum, laevis admodum oculis adspexit. Sed vero quidquid etiam hic adversus protestantes est molitus; tamen invitus & ignarus consilio divino patrocinari debuit. Hic quippe a. 1533. legatum ad Saxoniam Septemvirum misit, qui cum de ratione litium componendarum ageret, inter alia haec est pollicitus: *quod si intra biennium concilium non habeatur, jamjam NB. se illis*
secun-

secundum Augustanam confessionem vivendi potestatem facere. Plures autem longe duobus annis inde ab hoc tempore ad usque concilium Tridentinum sunt elapsi. Hinc prudenter admodum ad hæc verba notat *Gentiletus exam. conc. Trid. L. I. p. m. 21. peculiari quadam numinis divini gratia factum, ut protestantes non modo ex imperatoris, sed etiam ex ipsius pontificis consensu religionis sue exercitium obtinuerint.* Robur denique ac complementum hæc libertas est consequuta in transactione *Passaviensi* anno 1552. confirmata in comitiis *Augustanis* anno 1556. & 1558. ne cui religionis causa vis ulla aut injuria inferretur.

JOH. STENGELII,

Ulma - Suevi

De

JUNIPERO BIBLICO

ad illustranda tria scripturæ S.
dicta

I. Reg. XIX, 4. 5. Jobi XXX, 4.
& Psalm. CXX, 4.

Observatio-Philologica.

Breviarium.

Voces in Sacr. Litteris Technicæ; item animalium, plantarum &c. obviæ, in explicatione sunt difficilimæ: hujus generis est vox **יָבֵט**. §. 1. Radix ejus est **יָבֵט** Mich. I, 13. extans: §. 2. Notare plantam certum est, an vero genistam, an Juniperum dissentiunt Interpretes & Judæorum & Christianorum. §. 3. Plerique tamen de junipero intelligunt, quorum sententiæ & nos subscribimus. §. 4. Etymologiæ causas varii varias notant: adducuntur Scharffii: Nostra: & Ursini. §. 5. Explicatio Loci (I.) I. Reg. XIX, 4. 5. Duæ sunt juniperi species humilis sive terra repens alia, alia arborefcens. §. 6. Hujus species deprehenditur ut alibi, ita & in Asia, ergo in & Judæa, nec dubitandum eandem fuisse sub qua recubavit Elias Propheta. §. 7.

Ex-

Explicatio Loci (II.) Job. XXX, 4. quidam כֶּמֶן exponunt *panem eorum*: alii *ad calefaciendum*: §. 8. Prior haud plane rejicienda est sententia. §. 9. Sed nobis placet posterior præ priori. Adduntur rationes. §. 10. Forte utraque significatio simul stare posset, si simile haberemus Exemplum. §. 11. Explicatio loci (III.) Psalm. CXX, 4. Lingua maledicorum assimilatur carbonibus juniperi, qui diu imo ad annum usque gliscentes asservari possunt. §. 12. Applicatio & sensus l. c. §. 13. Conclusio totius observationis, affirmans omnium optime vocem כֶּמֶן per juniperum ll. cc. interpretari posse uno debere. §. 14.

§. 1.

SI quæ in Sacrarum Litterarum interpretatione difficilia occurrunt vocabula, sunt sane ea quæ Technica alias dici, quibus plantæ, quibus & arbores, & similia designari solent. Cum enim destituti sæpius sumus si non omni saltem uberiori suppellectili, ex qua varias easque certas vocum Orientalium significationes eruere possumus, accidit ut ad conjecturas, probabilitates &c. vel ex substrata materia, vel etiam, quod ultimum, idque dubium admodum remedium esse omnes Philologi fatentur, ex Etymologia petitas confugiendum est. Hæc inter jure suo vocem כֶּמֶן 1. Reg. XIX, 4. §. in singulari; Jobi vero XXX, 4. & Psalm. CXX, 4. in plurali numero occurrentem numero. Quorum locorum difficultates paulo accuratius inquirere, omnino utile judicamus.

§. 2. Ad significationem quidem hujus vocis quod attinet, si Etymologiam spectes, vocis hujus radicem verbum **רתם** quod Mich. I, 13. solummodo occurrit, *currumque ligare vel jungere*: Germ. den Wagen anspannen, significat, esse, Lexicographi affirmant. Eandemque radicem Arabis quoque haud ignotam esse, atque *circumligare, obligare, &c.* notare, Coccejus me in Lexico Biblico docuit. Nec superest dubium, vocem hanc ab eadem radice originem suam ducere: adeo ut nullos, qui id negarunt, hactenus offenderimus. Ast de eo invicem variant interpretes, cum quaesitum fuerit, quid vocabulum **רתם** significet? Quod ut clarius exponatur, & quid nos & ceteri sentiant, dicemus, laboremque haud poenitendum in id impendemus.

§. 3. Plantam notare, ut antea jam monuimus, extra dubitationis aleam positum est, siquidem in hoc omnes interpretes consentiunt: In eo tamen diversos deprehendimus, num *Juniperum* an vero *Genistam* denotet? plures enim hisce duabus sententiis non invenimus. Audiamus igitur quid dicant. Judæorum si evolvimus Commentarios, exhibet se nobis primum R. Dav. Kimchii, qui in annotationibus ad I. Reg. XIX, 4. ad vocem **רתם** sequentia habet: הוא עץ שפל שנחלתו חמה מאד יש מפרשו שהוא שלועזין אותו ננישטא ויש אומרים שהוא שלועזין

שלוועזין ייניברוי: h. e. Est arbor humilis, *cujus pruna calide admodum sunt*: Sunt qui illam interpretantur per id quod in alia lingua Genista audit; alii dicunt eandem esse ac aliis Juniperus. Posteriorem quoque amat sententiam R. Salom. Jarchi, qui compendiose רשי scribi solet: in commentario ad h. l. scribens: רתם est בלעזון h. e. רתם est Juniperus in lingua aliena. Priori vero significatui R. Levi Ben-Gerson, רלבנ"ג per abbreviaturam dictus: his verbis subscribit: הוא עץ שפל גינישטא בלעזון h. e. arbor est humilis genista in aliena lingua dicta.

§. 4. Christianos si consulere volumus Doctores, alii itidem Genistam, plerique vero Juniperum רתם esse dixerunt. Hos inter sunt Vulgata, Piscatoris, Seb. Schmidii, Lutheri &c. Versiones: solus Arias Montanus in aliam sententiam ivit, qui uno loco Juniperum: alteris Genistam esse dixit. Facit cum hoc Jo. Henr. Ursinus in Arboreto Biblico C. XXVII. Nec non ante illum Jo. Avenarius in Lexico suo Hebraico v. רתם qui in tribus hisce locis vocem hanc per Genistam interpretatus est. Nobis omnium optima eorum videtur versio, qui per Juniperum interpretantur, idque partim ex Etymologia, partim ex ipsis circumstantiis atque facultatibus, plantæ huic, in nostris locis adscriptis, probabimus.

§. 5. Ad prius quod attinet, varias varii

Etymologiæ rationes reddunt: Benjamin Scharffius qui *Ἀρχαιολογίαν* s. juniperi descriptionem curiosam Jenæ 1679. 8. edidit: p.9. sequentem affert: *Hebræi*, scribit: *Juniperum* **רתר** (velim corrigas B. L. in Scharffio **רת** quod altera vice per **ר** pro **ר** scriptum in una pagina occurrit) dicunt à radice **רתר** quod significat ligavit, vel junxit, uti legitur Mich. I, 13. ideo fortasse, quod firmam jungat sanitatem cum corpore, vulneraque conglutinet & conjungat singularique vi polleat emplastica, & præterea abortum prohibeat & factum utero materno quasi firmiter alliget, sicuti ex usibus illius innotescit. Nos equidem huic meditationi adeo non contradicimus; id tamen monemus, videri nobis, magis ad formam externam quam qualitates internas juniperi respici; scilicet notum est, juniperum circumflexis invicem ramis atque foliis aculeatis, ita sæpius conjungi atque circumflecti ut non nisi vim adhibeas, invicem separare atque extricare ramos ejus non possis. Minime vero nobis arridet Jo. Henr. Ursini vocis **רתר** etymologia, quam in Arbor. Bibl. Cap. XXVII. §. 6. sequentem tradit: *Vocabulum* **רתר** *unica ex causa inditum fuit huic plantæ, propter carbonem, quos Chymici, toto anno sub cineribus suis vivere testantur. Nisi forte dicere velis quod cineres ex junipero quasi firmiter, ardentes carbonem, ne ignis eorum extingui possit, jungant: quod tamen incongrue dictum ideo*

ideo esse putamus, quia non quidem de conjunctione seu potius acervatione, sed magis de colligatione & constrictione radix hæc intelligenda esse videtur. Firma ergo nobis stat ratio $\tau\delta$ vocis רתם Etymologiam solummodo, ex ramorum circumflexione deducendam esse, quæ sane ad Juniperum quam optime quadrat.

§. 6. Sed missa Etymologia, dispiciamus jam quid de singulis locis, supra nominatis, dicendum erit. Primus, qui occurrit est, 1. Reg. XIX, 4. ubi de magno illo Dei Propheta Elia dicitur, quod occisis Baalis Prophetis, ipse, a vindice eorum Habele, Achabis Regis Israelitarum conjuge, Eliæ quærente mortem, aufugerit, atque in desertum pervenerit, ibique spatium diei emensus, refederit תחת רתם אחר , sub junipero quadam: & sub eadem arbore cubuerit atque dormiverit, quemadmodum vs. 5. affirmatur. Jam vero si juniperum nostrarum regionum adspicimus, quæ humilis admodum atque in terra fere repens tantum deprehenditur, difficile erit alicui persuadere, Eliam Prophetam sub hujus generis arbore quiescere potuisse. Sed bene observandum duas hujus arboris species, quantitate quidem magis quam qualitate differentes reperiri. Audiamus quid Scharffius l. c. p. 18. hac de differentia habeat: *Alia juniperus, scribit: dicitur Major, alia Minor. Major juniperus dicitur, quæ majora,*

duriora , latiora & accuratiora folia habet, minori seu vulgari , quaeque in tantam nonnunquam assurgit molem ut & celsam & vastam arborem imitetur. Hujus species alia frutescens , arbore-scens alia esse dicitur , quarum haec arborum magnitudinem emulatur. Proinde affirmante Plinio Libr. Nat. Histor. XVI. trabes ex hac specie atque adium contignationes fabricantur. Cecinit etiam Virgilius P. in Ecl. X. vs. 75. 76.

*Solet esse gravis cantantibus umbra
Juniperi, gravis umbra!*

Quibus verbis Frid. Taubmannus (qui cum Jos. Scaligero mavult vocabulum juniperi cum praecedentibus , quam sequentibus verbis conjungere , cui & nos subscribimus) in Comment. suo addit : *Apud nos quidem frutex fere humilior est juniperus , sed in Gallia magna sylva sunt.* Neque tamen praetereundum est silentio , quod arborescens juniperus , quae & major dicitur , praecipue in Asia , Gallia , atque Italia nascatur ; notante Scharffio l. c. p. 27. Et quod teste Ruellio in Lib. I. de nat. stirp: C. 90. *Montes amet, in planissimis nasci recuset.*

§. 7. Jam non difficile erit probatu, quod & in Judæa ejusque desertis eadem arbores obvia fuerint. Cum enim ut antea probavimus , juniperus major s. arborescens in Asia frequens sit , Judæam vero Asiae partem esse nemo dubitet , inque Judæa Elias Thisbita

bita fuerit, (egressus enim Bersabe, urbe Judææ, per integri diei spatium in desertum profectus ibidem sub junipero consedit) non video qui denegari hæc arbores Judææ possint, & cur nobismet ipsis scrupulum moveamus, num sub junipero Elias Propheta, ex itinere defatigatus requieverit. Nolo equidem hic in describendis desertis amplius esse, ut tamen intactum relinquere haud possum, quod & Cl. Relandus in *Palestin.* p. m. 378. observavit: *loca inculta Palestine, plurimum saltuosa & sylvosa fuisse,* cum maxime id ad nostrum quod probare debemus faciat: scilicet ex Ruellio supra allegato, edocti didicimus: *juniperum montes amare, campestria loca recusare: suffultiq; Matthioli verbis, quæ Scharffius l. c. p. 28. citat, adfirmantibus: imprimis feliciter crescere juniperum in collibus ac montibus arido præsertim tractu: non aliter concludere possumus, quam juniperi arbores in deserto Judæorum in montibus imprimis & collibus obvias fuisse. Nec est cur dubitemus, Eliam, umbrosum quo recubaret locum quærens, montem, in eoque arborem elegisse: idque eo facilius nobis persuadere possumus, quo& in aliis occasionibus, in montibus sedere, idem Elias consueverit, prouti id ex v. 8. cap. nostri ut & 2. Reg. I, 9. cognosci poterit. Manet ergo immobilis hæctenus nostra hypothesis, arborem, sub qua Elias recubaverit, juniperum esse*

esse potuisse, & haud dubie etiam fuisse, id quod ex infr. §. 14. dicendis, clarius apparebit.

§. 8. Sed ad alterum difficiliorem multo priore locum, Jobi puta, XXX, 4. progrediamur. Jobus in hoc capite praesentis miserimi sui status infelicitatem deplorans, inter alia etiam, de indigna, eorum etiam, sui tractatione, qui vilissimi generis homines, egeni tamque pauperes, ut *שרש רחמים לחם* *radix juniperorum panis eorum sit.* Sed primum omnium in verum horum verborum sensum inquirendum erit, sunt namque quidam interpretum, quibus notante B. Seb. Schmidio in Commentar. ad h. l. durum admodum videtur *לחם* interpretari panem eorum atque *לחם* panis cum aff. *ב* constituere, qui igitur malunt vertere ad caleandum, derivante vocem à r. *חם* calefecit & praefixo *ל*. Hos inter posteriores excellit Mercerus, qui respici ei putat ad id quod ex ligno juniperi prunae fiant maxime ardentes & calidae; atque provocat ad loc. parallelum Esa. XLVIII, 14. ubi *אין לחם לה* reddendum est: *Non est pruna ad calefaciendum.* Quae sane sententia, plana & nobis videtur, imprimis cum l. parall. suffulta sit: Etsi cum Piscatore objici posse, haecenus haud diffiteamur, non opus fuisse hominibus istis ad calefaciendum effodere radices, cum faciliore labore ad hoc uti potuissent ipsa stirpe vel ramis, vel juniperorum vel virgultorum aliorum.

Ac-

Accedit & tertia interpretatio Cl. Jo. Cocceji, qui per radices juniperi quasvis radices amaras notari voluit, quibus fame urgente, nullo habito respectu amaritudinis homines isti non abstinerint. Sed nullam videmus prægnantem causam, cur Synecdochen speciei pro genere h. l. sine necessitate fingamus. Missam ergo plane hanc Cocceji sententiam faciemus.

§. 9. Quapropter ad priores duas hypotheses s. interpretationes omnis res redit: Ubi sane, ut dicam quod res est, aqua mihi prius hærebat: Attamen & hanc difficultatem insuperatam non relinquamus. Esto igitur, vertamus *panem eorum*, res sane est quæ & olim & nostris temporibus sæpius contigit, ut urgente fame, pauperes radices quascunque reperiri potuerunt, ad famem delendam, quæsiverint. Ut plura taceam, unicum saltem exemplum adducam: *Regnante in Africa Honorico Vandalo, suborta est incredibilis fames, ideo non solum homines sed & jumenta partim interibant. Superstites sepulturam quærebant, alii per campos aberrantes, alii sylvarum abditissima petentes, RADICES ARBORUM, vel quisquilias avidissime arrodebant.* notante Balth. Exnero in Valer. Maximo Christiano. p. m. 134. f. Sed exemplum hoc est famis integram regionem prementis, cujusmodi sane Jobus non meminit, quippe qui in genere de pauperrimis hominibus, qui quod comedant

in domo sua non habent, loquitur. Interim diffiteri haud possumus mentionem, ipsum Jobum, esuriei v. 3. facere, & causam eamque primam hujus eradicationis esuriam dicere, videri. Sed quia esuries, pauperum quotidianorum, & defectus pecuniae ut plurimum conjuncta sunt, inconsuetum non est pauperibus, ut eo etiam tempore quo caritas rerum non tanta est, radices quærant *herbarum*, & cibi loco iisdem utantur. Sed ane tanta etiam paupertas atque esuries, eo tempore, homines inter egenos offendatur, ut etiam *arborum* radices ab iisdem in cibum petendæ sint, hoc est de quo maxime dubito, saltem nullum talem casum unquam legi vel audiui.

§. 10. Hanc igitur ob causam putabam, melius atque naturæ convenientius reddi ~~omnibus~~ *ad calefaciendum*. Id vero ut eo clarius pateat sequentibus probabo: Scilicet non raro, imo quotidie fieri videmus, expetere pauperes vel à summo regionis principe, tanquam Domino sylvæ, vel ab iis quibus inspectio sylvarum à principe commissa est, ipsis ut radicum effossionem (Germani mei, die wälder ausstocken dicunt) permittant, quo habeant, ut ignem vel ad calefaciendum vel ad cibos coquendos nutrire possint. Objicit quidem ut supra §. 8. dixi, Piscator, non opus fuisse istis ut radices effoderent, cum arboribus ipsis, cum ramis, cum virgultis, fa-

faciliore labore uti potuissent. Ast respon-
 deo, non cujusvis permittere facultatem,
 præsertim ubi res angusta domi, ut arbores in-
 tegras, quippe quæ majoris pretii sunt, eme-
 re possint. Satis igitur istis erit hæc causa, si
 permissio ipsis datur radices tantummodo ar-
 borum effodere, easque vel gratis vel pro
 vilissima pecuniæ summula, accipere. Ac-
 cedit deinde quod & pauperes istiusmodi ho-
 mines videas aliquando, eas arborum radi-
 ces, quæ ad ignem accendendam, ob bitu-
 men ipsis adhærens atque inhærens, per quam
 commodæ sunt effodere; quasque postea
 dissectas atque rite præparatas venum aliis ex-
 ponere, & pro soluta pecunia panem emere,
 vel in proprium usum adhibere solent: tum
 vero si juniperum examines, ejusdem speciei
 arborem esse deprehendes, ex cujus stemmate
 humor gummosus atque pinguis profluere
 affolet, inde etiam ex juniperino ligno atque
 cortice extractum & quidem gummosum edu-
 ci testis est sæpius jam citatus Scharffius p. 52.
 Quod sub *Sandarace Arabica*, (ab alia *Græco-*
rum dicta *Sandaraca*, quæ & auripigmentum
 dicitur atque exitiosum venenum metallicum
 est, distinctæ) nomine venit: de qua iterum
 apud Scharffium l. c. p. 26. videre est. Ha-
 rum vero arborum radices præ ceteris ad
 ignem accendendam per commodas esse &
 lippis & tonsoribus, imo & ancillis nostris no-
 tum est. Vides ergo B, L, æque facile imo

facilius & naturæ & experientia convenientius, **כחל** per calere quam panem exponi posse.

§. 11. Sed & alia meditatio nostra superest, scil. putabamus numne liceret vocem **כחל** & de pane & de calefacere simul exponere: Ita quidem ut respiciendo ad hemistichii prioris verba: qui carpebant malvam (placet enim **חל** cum plurimis ita vertere, etsi fatear cum Coccejo difficile admodum esse in veram vocis **חל** notionem inquirere) cum virgultis: **כחל**, ut nomen cum suffixo **כ** sit reddendum panis eorum: & in posteriore hemistichio, radix juniperorum, vox **כחל**, ut verbum cum præfixo **ל**. exponatur, ad calefaciendum. Et ita sensus h. l. esset: Carpebant malvam cum virgultis ut essent panis s. cibus quo saturarentur & radix juniperorum in sylvis eradicata, ad calefaciendum ipsis inserviret. Doleo equidem nullum simile exemplum in sacris litteris mihi jam succurrere, quo meditationem hanc meam corroborare queam, quod si simile forte cuiquam occurreret, idque mecum communicare voluerit, maxime me sibi obstrictum habebit.

§. 12. Sed ad tertium quoque locum, in quo vocem **כחל** obviam deprehendimus, nos jam convertamus. Est ille Psalm. CXX, 4. Laudat Psaltes in oratione sua DEUM pro libertate, uti ab Angustis & imprimis à Lingua malitiosa atque maledica ipsi facta: & ut

ut laudis eo major evadat ratio v. 4. addit: Es-
 se linguam talem sicut tela potentis acuta וי
 רחמי עלי aequae ac prunae juniperorum: Nova
 haec est, ut optime notat Cl. Gejerus ad h. l.
 Linguae maledice comparatio, q. d. non tantum si-
 milis est sagittis -- sed insuper se habet tanquam
 prunae vel arbores juniperi, qui non absque stridore
 flammam concipiunt, conceptam altius in materiam
 istam densam, solidam atque oleaginosam ipsi imbi-
 bunt, imbibitam mox diffundunt, diffusam diutius
 asservant, usque adeo ut licet nil nisi cinis candidior
 conspiciatur forinsecus, noxia tamen adhuc sub eo-
 dem delitescat flamma. Accedit quod unanimi
 consensu omnes quicumque de junipero com-
 mentati sunt, ignem carbonum ex junipero,
 diu imo per integrum annum asservari posse
 tradant. Audiamus crebrius jam citatum
 Scharffium l. c. p. 8. narrantem: Juniperus,
 inquit: accensa, ignem non illico solum concipere
 sed & conceptum quoque diutissime fovere, ignisque
 vice esse solet: notum enim est, quod si cineribus ex
 ligno juniperi confectis carbones vivos eosque vel ju-
 niperinos, vel etiam quercinos addas, illisque bos
 obruas per totum annum gliscere, ita ut illi eodem
 post annum statu permaneant, sicuti inclusi sunt. Af-
 firmat idem Dan. Beckerus in peculiari libro,
 germanico idiomate edito. s. t. Nuzliche
 kleine Haus apotheck des Hollunders und
 Wachholders. 8. Königsberg 1650. impres-
 so. in quo p. 279. ea tradit, quæ suo sermone
 adscribam: Die asche vom Wachholder er-
 Class. VII, Fasc. V. Kkk hält

hält das feuer wohl auf ein gantzes jahr unverlezt, denn so man nehmet eine glüende kohle vom Wachholder holtz gebrandt, so hält sich das feur frisch und ohnverlezt darinnen auch ein gantzes jahr. Mirum igitur non est quod Scaliger, (notante Scharffio l.c.) in Commentar. in Libr. III. Theophrasti de causis plantarum p. 160. *carbones juniperi omnium optimos* & *IMMORTALES* dixerit.

§. 13. Hoc asserto, jam non difficile erit, in verū Psaltis sensum inquirere & applicationem facere. Nam quæ fugit, nisi in expertem plane, Sycophantarum linguas tanto cum effectu adurere posse atque solere innocentissimorum etiam famam, ut non immerito, istis juniperorum, sub cinere diu satis gliscentibus carbonibus, æquiparentur. Nam uti B. Gejerus ad h. l. ex Smuccio annotat: *Calumnia non tantum in primo ardore summe est nociva, sed & diu post, ubi jam refutata aut suppressa satis videtur, quippe suspicio relicta, levi flatu novum concitat incendium.* Proinde & St. Jacobus Apostolus in Epistolæ C. III. v. 6. *την γλωσσοῦν πυρ*, Linguam ignem vocat: *φλογιζομένην ὑπὸ τῆς γεννῆς*, ab ipsa gehenna inflammata: Et Sapientissimus Regum Salomo in Proverb. C. XVI, 27. de Viro Belial dicit: quod *עַל צַרְבַּתוֹ כַּאֲשֶׁר שַׁפְתּוֹ* super labiis ejus sit quasi ignis adustionis. Possemus ex profanis etiam scriptoribus id probare si opus esset, sed cur ad fugiamus, cum multo meliora in sacris lit-

litteris ipsis habeamus. Interim ut diuturnitatem calumniarum ab illis annotatam credamus, unicum addimus illudque notissimum: *Calumniare audacter, semper aliquid hæret.*

§. 14- Intelliges ex hisce allatis B. L. quam commode hæc tria Script. S. loca de Junipero interpretari possint, imo debeant. Nam etsi non diffiteamur, Genistæ æque ac juniperi duas esse species, humilem unam, alteram arborescentem, sub qua igitur posteriore Elias Propheta quemadmodum sub junipero quiescere potuisset: Etsi porro, ex eadem ratione convicti concedere possemus, radices arborum Genistæ, eodem, quo de juniperi radicibus factum esse à pauperibus, modo diximus, eradicatas fuisse; Dubitamus tamen valde, num de Genistæ carbonibus idem, quod de Juniperi audivimus, affirmari possit. Jam vero cum postremus locus omnium optime de junipero exponatur, imo non nisi de ea interpretari commode possit, & duo priora loca de eadem exponenda esse, concludimus, idque ex ea ratione, *quod idem vocabulum* (imprimis quale hoc est, plantæ genus significans, quidni & ea omnia quæ in fronte dissertationis nostræ tetigimus, esse dicamus) *in aliis locis repetitum, idem significet, quod in illo, ex quo probabilior significatus cognosci potest, significat.* Confirmamur eo magis in nostra sententia, quo certiores sumus, in tribus hisce

locis, ea quæ dicuntur, de Junipero intelligi posse: cum duo priora tantum, minime vero & tertius, de Genista, explicari possint.



IV.

A. ALBERTHOMA,

V. D. M.

in agro Groningano

Cogitationes

ad Num. X: 13--28.

ARGUMENTUM.

- §. 1. Summa textus. §. 2. Ansa cogitandi. §. 3. Fundamenta explicationis mysticæ; sc. hic representari faciem totius ecclesiæ N. T. per omnia tempora. §. 4. Mysterium primi exercitus. §. 5. In specie Judæ. §. 6. Issacharis. §. 7. Zebulonis. §. 8. Secundi exercitus. §. 9. quid Ruben §. 10. quid Simeon, §. 11. quid Gad representaverint. §. 12. inquiritur mysterium tertii exercitus. §. 13. in specie Ephraimi. §. 14. Manassis. §. 15. cur Ephraim Manassi in benedictione præpositus fuerit? §. 16. Benjaminis. §. 17. Mysterium quarti exercitus. §. 18. quid Dan. §. 19. quid Aser. §. 20. quid Naphthali voluerunt? §. 21. Levitarum divisiones intra Israelitarum exercitus. §. 22. Illustratio quorundam locorum S. S. huc respicientium.

§. 1.

Memoratur hic, quomodo filii Israelis jussu Dei per manum Moſis profecti ſunt in deſerto; & quo ordine duodecim tribus in quatuor exercitus diviſæ ſe invicem exceperint:

Diviſio vero talis erat

A ad primum exercitum pertinet *Juda*, ſub cujus vexillo erant *Iſſaſchar, Zebulon*.

B ad ſecundum, *Ruben, Simeon, Gad*,

C ad tertium, *Ephraim, Manaſſe, Benjamin*,

D ad quartum, *Dan, Aſer, Naphtali*.

Hi exercitus, quum *Israel* caſtra mutabat hoc ordine unus poſt alium proficiſcebantur, atque iterum caſtra metabantur circum *Tabernaculum*.

§. 2. Quum *Deus* omnia ſumma ſapientia in eccleſia ſua dirigat, quæri poteſt.

1. Cur duodecim tribus ſub quatuor vexillis diviſerit? quæ ſucceſſive profectæ ſunt.
2. Cur *Juda, Ruben, Ephraim & Dan* fuerint duces exercituum?
3. Cur unicuique horum capitum tales nomine tribus adjunctæ fuerint & non aliæ? Earum enim conjunctio non eſt aut juxta ordinem generationis coll. *Gen. XLIII.*

33. aut juxta originem ex diverſis matribus

bus coll. Gen. XXIII. 1, 2. Verum divisio & conjunctio est plane arbitraria.

§. 3. Ut hisce quæstionibus satisfiat, mihi quidem videtur solutionem posse repeti ex sensu mystico & allegorico; adeoque summo Numini placuisse hoc apparatu æternum consilium manifestare, quæ ipsius viæ essent cum ecclesia sub oeconomia N. T. Ut vero mentem meam explicem, hæc suppono.

1. Israelem præfigurasse spirituales Israelem, seu ecclesiam J. Christi sub N. T.
2. Divisionem Israelis in quatuor exercitus, qui se invicem, in proficiscendo excipiebant, repræsentare ecclesiam J. Christi in quatuor diversis temporibus sub vexillo J. C. successive in mundo prodituram.
3. Nomina tribuum ostendere faciem ecclesiæ huic vel illi temporis respondentem.
4. Vim nominum priorum tribuum repetendam esse ex *ὄνοματεστια*, quæ Gen. XXIX, XXX, XXXV, XLI. occurrit;

§. 4. Ergo primus exercitus proficisceretur sub vexillo Judæ, cui *Issaschar* & *Zebulon* adjuncti fuerunt; Repræsentat exercitum Christianorum in principio N. T. post Jesu exaltationem & Spiritus S. effusionem ad clangorem tubæ Evangelii in deserto mundi prodeuntium, qui exercitus satis numerosus foret juxta prophetias Jes. II: 2, 3. Zeph. III: 9. Hag. II: 8. & fuit; prout in actis apostolorum memoriæ traditum est.

§. 5. Dux hujus exercitus erat *Juda*: originem significationis hujus nominis legimus Gen. XXIX: 35. *Celebrabo hac vice Jehovam*; *Juda* merito omnium primus est, tum quia ex eo *Messias* princeps oriundus erat Gen. XLIX: 10. tum quia omnium exercituum Dei primarium opus est celebrare Deum ab negotium salutis I. Petr. II: 9. quæ Dei laus quam maxime vigeret in principio N. T. ob insignem *Zelum*, simplicitatem cordis & ardorem fidei, magis quam aliis temporibus ut eventus docuit Act. II: 46, 47. XI: 18.

§. 6. Sub vexillo *Judæ* memoratur *Iffaschar*; iterum *Leæ* filius: originem denominationis invenimus Gen. XXX: 18. *Deus reddidit mercedem meam, postquam dedi ancillam meam viro meo*: Sensus mysticus hic obscurior est; quantum mihi adhucdum patet, *Iffaschar* repræsentat fideles ex *Judæis* in principio N. T. ad communionem Christi adducendos & satis numerosum exercitum constituturos sub vexillo *Judæ* seu celebrantium Deum. *Iffaschar* enim paritur postquam *Lea* per aliquot tempus destiterat parere, ita multitudo electorum *Israelitarum* spiritualiter per *Evangelium* pareretur, postquam uterus ecclesiæ V. T. per longum tempus circa tempora Christi in pariendo fidelis quasi clausus fuisset Mal. IV: 6. *Iffaschar* paritur, postquam *Lea* ancillam suam dederat viro suo, electi *Israelitæ* parerentur, postquam *Ecclesia Judaica* an-

tea servilis Gal. IV: 25. exutis proceribus Col. II: 15. & jugo anterioris mariti matrimonio spirituali conjuncta foret Christo vero ecclesiae marito Jes. LIV: 5. 2. Cor. XI: 2. Tum Deus Leæ reddidit mercedem suam, ita adductio multorum fidelium Israelitarum foret compensatio anterioris defectus ac temporis plane sterilis.

§. 7. Huic vexillo ultimo accensetur Zebulon, iterum Leæ filius; cui nomen mater indidit hisce verbis Gen. XXX: 20. *donavit me Deus, me, inquit donatione bona, nunc tandem cohabitabit mecum vir meus, quia peperit ei sex filios.* Zebulon mihi repræsentat electos ex gentibus. Sequitur Issascharem, exercitum vocatorum ex Israele subsequerentur fideles ex gentibus, Jes. XLIX: 6. ita tamen ut ad idem vexillum pertinerent; foret unus grex, & unus pastor; Joh. X: 16. Fideles gentilium multitudine fideles ex Judæis superarent, ut rectissime ad eorum aspectum de iis dici posset cum lætitia & admiratione, donavit me Deus donatione bona Jes. LIV: 3. atque tum Jesus ecclesiae maritus etiam singulari modo sponsae suae cohabitaret, speciminaque tenerrimi amoris daret; coll. Jes. LIV. 1. &c.

§. 8. Sequitur secundus exercitus, sub vexillo *Ruben*: cui adjuncti fuerunt Simeon & Gad; Repræsentat novum Christianorum exercitum post multam luctam in mundo proditurum lætis illis temporibus Constantini M.

M. & successorum ejus, qui Christianam religionem primi inter Cæsares profiterentur atque confessores ejus protegerent; qua de causa exercitus numerosissimus ab Ethnicismo ad castra Christi transit.

§. 9. Dum hujus exercitus fuit *Ruben*, primus *Leæ* filius; cui nomen indidit hisce verbis. Gen. XXIX: 32. *quia respexit Jehova ad afflictionem meam, ideo me amabit vir meus*: patet hinc ad talem ecclesiæ statum respici. 1. quum fuerat in anteriori afflictione. 2. Illis temporibus *Christus* ecclesiæ maritus videretur, externe judicando, sponsam suam non amare; 3. verum *Jehova* oculo misericordiæ & gratiæ ad ecclesiam afflictam respiceret eam liberando, & educendo in omnimodam salutem. 4. Atque tum *Christus* eam singulari amore quoque iterum amplecteretur: quæ apprime quadrant ad statum ecclesiæ per *Constantinum M.* liberatæ, atque cura divina multis beneficiis cumulatæ. Apoc. II: 10.

§. 10. Huic adjunctus fuit *Simeon*; alter *Leæ* filius: de cujus denominatione ita *Moses* Gen. XXIX: 33. *Quia audivit Jehova: me esse exosam, ideo dedit mihi etiam hunc*: scilicet hoc agmen repræsentare potest faciem ecclesiæ temporibus sequentibus: Deus enim benignissimus ad afflictionem ecclesiæ quidem respiceret, atque *Christus* eam eximie videatur amare; verum in odium Cæsarum, episcoporum aliorumque plurimorum incurre-

retratione Arrianismi, quod virus longe lateque serperet, ad quod extinguendum orthodoxi nihil intentatum relinquerent; verum quo magis hi se opponerent, eo magis odium terribile a parte Arrianorum in veritatis amicos exarderet Apoc. VIII: 10, 11. omnem lapidem moventium, ut eos honoribus exuerent, atque a muneribus politicis & ecclesiasticis excluderent, mendacia nefanda excogitantes & objicientes in præjudicium orthodoxorum, quæ omnia Deus tandem audivit, atque ecclesiæ concilia, Cæsares, lumina donavit, quibus veritas triumphabat, & ecclesia crescebat.

§. 11. Exercitum hunc clausit *Gad*; *Zilpæ*, ancillæ *Leæ*, filius: cui nomen *Lea* indidit hisce verbis Gen. XXX: 11. *Venit turma*. Non obscure hic monemus exercitum secundum ulterioribus temporibus insigne incrementum accepturum: multi magnique populi nomini Christiano accederent; veniret turma, & revera ecclesia nihil aliud foret quam turma, magnus hominum cumulus sine spiritu, esset turma ancillæ, non liberæ.

§. 12. Tertius exercitus proficiscebatur sub vexillo *Ephraim*, cui *Manasse* & *Benjamin* fuerunt adjuncti. Repræsentat exercitum Christianorum veritati & pietati addictorum, qui exirent & se separarent ex Antichristianismo. Hi tres etiam conjunguntur Ps. LXXX, 3. unde concludo hunc
Psal.

Psalmum in se continere suspiria ad Deum pro salute ecclesiae Reformatae: & sane numerosum exercitum se a Babele separatum, cui Deus viam planaret, ut vinceret in mundo ex Apoc. VII, 4. 9. Jes. LVII, 13, 14. constat.

§. 13. Dum hujus exercitus fuit Ephraim, Josephi filius: ratio denominationis occurrit Gen. XLI, 52. *quia me fructuosum reddit Deus in terra afflictionis meae.* Hæc terra afflictionis est Ægyptus, quæ in S. scriptura symbolum est Antichristianismi Apoc. XI, 8. Roma vero, atque plurimæ regiones Romano imperio subditæ forent terræ afflictionis ecclesiae J. Christi, cujus multifariæ persecutiones ante tempora Lutheri & Zwinglii, ex historiis Berengarii, Waldensium, Albigensium, Wiclefitarum videri possunt; apud Lydium, Ufferium de succ. eccles. in Occid. Regenvolsium in hist. Slav. Mansit quoque terra afflictionis post horum luminum tempora usque ad transactionem Passaviensem, de quibus consuli potest Heidanus, atque utinam tum temporis finis afflictionum fuisset? Verum quo magis Valdenses, Wiclefitæ &c. & postea Reformatores affligebantur, eo magis in terra afflictionis crescebant, sanguis martyrum fuit semen ecclesiae, ut ex iisdem historiis patet.

§. 14. Hunc sequebatur *Manasse*, ejusdem Josephi filius, cui nomen indidit hisce verbis

bis Gen. XLI, 51. *Nam fecit me Deus oblivisci omnem meum laborem, & totam domum patris mei.* Repræsentat ulteriorem statum ecclesiæ Reformatæ, quæ post multum laborem post multa bella gesta, qualia senserunt Germania, Anglia, Belgium, aliæque regiones, item post multa scripta eristica ad veritatem defendendâ & obloquentibus os obturandum, tandem optata pace in diversis regionibus frueretur, quando ob accumulationem insignium Dei beneficiorum facile omnem istum laborem oblivisceretur atque præsentibus Dei beneficiis gauderet. Tum quoque totam domum patris oblivisceretur, id est, illam ecclesiam in qua confessores veritatis primo orti & educati erant, cuiusque mores addidicerant; nam reformati lumine verbi divini melius edocti plane obliviscerentur mores, ritus, dogmata ecclesiæ falsæ & persequentis è qua exierant, imo anathematibus expulsi fuerant, janua ipsis clausa per concilium Tridentinum; ita quoque sponsa J. C. monetur derelinquere populum suum, & domum patris Pf. XLV, 11.

§. 15. Ex hac hypothese forsan colligi potest, cur Ephraim natu minimus in benedictione Jacobi fratri Manasse natu majori præpositus fuerit? Gen. XLVIII, 13-20. Jacob declarat v. 19. Deum ipsi indicasse Manasse fore in populum, imo magnum futurum verum Ephraim major esset, atque ipsius semen

men in multitudinem populorum esset; quo indicatur ecclesiam J. C. sub afflictionibus Antichristi numerosiorem fore quam ecclesia in pace respectu verorum membrorum, unde benedictio seminis prioris longe majorem futura quam posterioris.

§. 16. Agmen clausit *Benjamin* qui nascitur exeunte anima è Rachele Gen. XXXV. 18. adeoque mater ipsum nominavit *Benoni*, sed pater ejus vocavit eum *Benjamin*; mater sit typus ecclesie dilectae, pater Jacobus Christi; diversa denominatio infert diversum judicium circa filios ceu membra ecclesie; respectu status eorum ceu externi ceu interni; ecclesie Reformatae quasi morti vicinae ejus filii ipsi obvenirent ut *Benoni*, ceu filii doloris; ceu ob insignem laborem ingignendo semine spirituali ratione duritiei cordium collocatum, ceu ob teporem, atque deplorandam omnino ecclesie faciem. Apoc. III, 17. ceu ob dolorem, quem filii merito sentirent per justa Dei judicia. Patri vero luminum J. Christo scrutatori cordium obveniret ut *Benjamin* ceu filius dextrae. Dei dextra enim hac vinea plantata foret Psalm. LXXX, 16. Dei dextra incolumis inter omnes dolores & afflictiones servaretur, ac licet facies externa dolorem movere posset, essent tamen ut tempore Eliae in Israele multa millia, qui revera ob sinceritatem cordis & fidem infucatam filii dextrae Dei forent.

§. 17. Sequitur quartus ceu ultimus exercitus, ad quem spectant Dan, sub cujus vexillo profecti sunt, Aser, dein Naphthali. Representat ultimum Christianorum exercitum sub regno Christi glorioso, post multam luctam & gravia bella cum hostibus regni Christi in mundo proditurum, qui exercitus numerosissimus foret, quoniam tota terra ceu vere ceu hypocritice tum duci Messiae subicietur.

§. 18. Agmen ducit Dan: Bilhæ filius; ad cujus partum Rachel dixit Gen. XXX, 6. *causam meam egit Deus, etiamque exaudivit vocem meam, dans mihi filium: idcirco vocavit nomen ejus Dan.* Notamus denominationes trium ultimorum ducum relationem habere ad anteriores afflictiones, litigationes, indeque orta suspiria ad Deum fæderatum: eventum vi nominum Ruben & Ephraim respondere vidimus: eadem est ratio nominis Dan. Hostes enim Christi nunquam non ecclesiae litigationes conciliarunt, & conciliabunt externe per bella, interne per oppugnationem veritatum, atque juxta prophetias duriora adhuc dum tempora instant; Verum tandem Jesus causam ecclesiae quam maxime aget, tum quoad veram doctrinam & pietatem, quæ post tot oppugnationes triumphabunt, quam quoad ecclesiae externam quietem; quæ tam diu ab hostibus vexata, à Rege Christo, ceu vere ceu falso regibus
se

se ipsi subjicientibus ; fidelibus subditis procurabitur. Jes. XI, 9. Apocal. XXI, 24-27. Summa ex omnibus eventibus patebit, Christum magis quam unquam causam ecclesiae agere, illam amplificare, atque fidelium vocem, suspiria, lamentationes audire.

§. 19. Excipit eum *Aser*; *Zilpæ* filius; de cujus nominis origine ita Moses Gen. XXX, 13. *Dixit Lea, beatè est mihi, nam beatam prædicabunt me mulieres.* Quis hic non videt repræsentari felicissimum ecclesiae statum ultimis temporibus? *Lea* quasi admirabunda inquit, beate est mihi, læta illa tempora non nisi summa admiratione etiam perpendentur, à vera ecclesia J. C. Jes. LXVI, 7. 8. *Mulieres* applauderent, id est: ceu particulares ecclesiae, ceu aliæ societates, quæ antea & suo modo confessores quasi veritatis edidissent, atque non minori numero quam sponsa J. C. verum jam steriles forent, hæ felicitatem ecclesiae Christi veræ prædicarent ob multiplicationem seminis spiritualis non tantum, verum etiam quoniam Deus benignissimus istud semen omnibus beneficiis oneraret. Gen. XLIX, 20.

§. 20. Agmen clauditur a *Naphthali*, altero *Bilhæ* filio; cui hisce verbis nomen inditum est Gen. XXX, 8. *dixit Rachel, luctationibus divinis luctata sum cum sorore mea, etiamque valui.* Innuitur clara plenaria ecclesiae post omnes luctationes ad finem mundi victoria, ac
sua.

suavissima ecclesiae gentilium cum eccl. Judaica
 assopatio, & coalitio in unum corpus, cui electi
 ex Antichristiana ecclesia etiam accederent;
 atque dein transitus totius ecclesiae militantis
 erit in statum triumphantis: qua scena omnes
 actus exercituum spiritualium in hac terra
 claudentur.

§. 21. Hi exercitus intra se claudebant to-
 tum Dei sanctuarium, atque Levitas illud
 portantes. Divisio vero talis fuit; post pri-
 mum & ante secundum exercitum interme-
 dii erant filii Gersom & Merari portantes
 Tabernaculum Num. X, 17. juxta praescri-
 ptum Num. IV, 22. 29. &c. Intra secundum
 & tertium exercitum intermedii erant Ko-
 hathitae portantes sanctuarium, Num. X, 21.
 juxta praescriptum Num. IV, 4. &c. hoc ve-
 ro ordine procedebant filii Gersom & Mera-
 ri cum duobus primis exercitibus anteceden-
 tes erigebant iterum Tabernaculum, ubi ar-
 ca subsistebat, ut Kohathitae accedentes tum
 omnia vasa sanctuarii suo loco collocari pos-
 sent. Num. X, 21. Ergo sanctuarium erat in
 medio quatuor exercituum, apparatus vero
 reliquus tabernaculi erat intra primum & se-
 cundum exercitum, intra tertium vero &
 quartum exercitum nil ad Tabernaculum spe-
 ctans portabatur, arca Fæderis autem præi-
 bat; Num. X, 33. Forte sapientissimus De-
 us hoc apparatu indicavit, (a) spirituali arca
 seu Christo exercitus Dei præeunte, ac locum
 quis-

quietis demonstrante Sanctuarium semper in medio ecclesiæ fore. (β) In quibus oris Christus sedem figeret, ibi Deus per certos ministros omnia sibi decenter præparaturum. (γ) Primis temporibus N. T. Tabernaculum Christi de loco ad locum movendum esse, verum ulterioribus temporibus cum tertius & quartus exercitus proficiscerentur, Tabernaculi sedem magis stabilitam fore, & nihil reliqui mansurum, quam omnes exercitus colligere ad communionem illius ecclesiæ, in cujus medio Jesus Tabernaculum suum fixisset, Num. X, 25.

§. 22. Notandum est hosce exercitus unum post alterum iter suscepisse ad clangorem tubarum Num. X. 5. 6. ut ordine cum lætitia & voluntarie proficiscerentur: quum Moses interim solenni alloquio salutem Israelis Deo supra arcam fœderis habitanti ad motum arcæ fœderis committebat Num. X. 35. quo respicitur Ps. LXVIII, 2. & Psalm. LXXXIX, 16. ubi beatitudo illius populi prædicatur, qui clangorem novit cum respectu ad clangorem tubarum, ii in luce faciei tuæ ambulabunt, cum relatione ad lucem nubis, exercitum obumbrantis de die Num. X, 34. & prælucentis nocte Ex. XIII, 21. forte huc etiam alluditur Ps. XLVII, 6. 7. ubi ascensus Christi cum jubilo & clangoris tubæ mentio fit, & pro numero exercituum quater psallite inculcatur; atque ad quartam psalmodiam Christus se ut regem

totius terræ demonstraret ; unde sequeretur
 universale mutuum incitamentum ad finem
 seculorum, psallite מְשַׁבֵּי, quoniam omnibus
 impletis tum demum id cani posset, atque
 ad erudiendum in viis Dei sanctissimis, sapi-
 entissimis ac summe ipsum decentibus incitari.



V.

*Jo. Christophori HAREN-
 BERGII,*

*Commentatio de XIV. an-
 nis Paulinis ad illustranda loca 2.
 Cor. XII. 2. Gal. II. 1. pro defini-
 endo conscriptæ alterius ad
 Corinthios epistolæ
 anno.*

*Synopsis. §. 1. Rationes proponuntur, cur a Cassiodoro,
 Pearsonio, Millio, Clerico aliisque recedatur. §.
 2. Calculus verus ejusque fundamenta. §. 3. Confir-
 matio contra quasdam objectiones ex Gorionide,
 Chronologis & S. Scriptura.*

§. 1.

*S*cripsi in Schediasmate, huic Bibliothecæ T. VI, Fasc. IV. n. 2. inserto, & quidem

dem §. 10. epistolam ad Corinthios posteriorem ad annum vulgarem N. C. 58. contextam, visionemque Pauli ecstaticam ad excessum Agrippæ majoris factam esse. Ut ita crederem, me induxerant Pearsonius, Millius, J. Clericus, Cassiodorus in Chronico, aliique summi viri, a quibus latum unguem discedere mihi erat religioni. Sed volutis revolutisque Taciti, Suetonii, Dionis Cassii, Josephi & sacrarum litterarum annalibus ipsis, calculum revocare & vela vertere jussus sum. Agrippa enim VII. regnavit annis, IV. sub Cajo Caligula, & III. reliquos, Claudio fasces imperii tenente, ut testatur Josephus Ant. L. XIX. 7. & ejus compilator Eusebius Hist. Eccl. L. II. c. 10. Claudius vero imperator orbi Romano præfuit in XIV. usque annum, defunctus III. Id. Oct. hoc est, XIII. die Oct. ut habet Sueton. in ejus Vita c. 45. Cassiodorus in Chronico ei XIII. annos VIII. menses, & dies IX. tribuit; Eutropius autem numero rotundo XIV. annos. Tacitus L. XII. Annal. pag. 269, perinde ac Suetonius, Claudium obiisse, tradit, Coss. M. Asinio Marcello & M. Acilio Aviola, subdens pag. 271. *Tunc medio diei, tertio ante idus Octobr. foribus palatii repente diductis, comitante Burrho Nero egreditur ad cohortem -- illatusque castris Nero -- Imperator consalutatur.* Josephus habet annos XIII. menses VIII. dies XXX. Ant. XX. 15. & de Bell. Jud. II. 3. Cæjus vero

Caligula imperavit annis III. mensibus IX. diebus XXVIII. ut testis est Dio Cassius L. LIX. fin. Ipse ad diem IX. Cal. Febr. id est, XXIV. Jan. interemptus est, auctore Suetonio in Cajo c. 58. Suetonio quidem cum Dione non convenire videtur, quia Cajo tribuit triennium, decem menses diesque octo c. 59. sed differentia ista est exigua, quia nondum geminatam hebdomadam excedit, ceu ex eo constat, cum idem Suetonius memoriae prodidit, Tiberium XVII. Cal. Apr. hoc est, die XVI. Mart. vita functum esse. Quod si porro ex historia repetas, Felicem Judæae procuratorem primo Neronis anno revocatum esse ex Palæstina, precibusque fratris Pallantis, adhuc pro eo efficaciter deprecari valentis, acufationibus Judæorum subtractum esse, quod discimus ex Josephi Ant. XX. 19. & Taciti Annal. L. XIII. p. 278. 279. alia animo sese ingeret chronotaxis. Nam Pallas consulibus Claudio Nerone & L. Antistio dignitate sua exuebatur, qui excipiebant Consules M. Asinium Marcellum & M. Acilium Aviolam, mortemque Claudii videbant. Ex Chronico quidem Cassiodori aliisque constat, consulatum Cl. Neronis & L. Antistii Veteris incidere in annum Christi vulgarem 60. adeo ut calculus, quem superiori Schediasmate exhibueram, suis non careat auctoribus; Verum ex calculo Eusebii Aprippa major ad a. XLVI. Christi mortuus est

est & Felix revocatus A. LVII. unde tantum
conficiuntur pro intervalli tempore anni XI.
qui ad summum etiam emergunt ex suppu-
tatione Taciti & Suetonii, quos repudiare
nefas est, auctores utique hic non refel-
lendos.

§. 2. Ut igitur aliam secler viam ad spa-
tium illud XIV. annorum recte distribu-
dum, illa me impulit potissimum ratio, quod
extra dubium sit, primum Christi manda-
tum, in ecclasi Hierosolymitana Paulo ap-
parentis, incidere in annum Pauli Christia-
ni tertium eumque expletum, ut videre est
ex collatione Act. XII. 17. 21, Gal. I. 18. Act.
IX. 26. Viderat quidem Paulus Jesum in via
Damascena Act. IX. 27. at de paganis Evan-
gelii luce collustrandis ante tertium illum an-
num ex jubentis Christi ore nil inaudierat nisi
quantum ex sermone Ananiae intellexerat
Act. IX. 15. Jam vero Paulus ad Christi do-
ctrinam deductus fuit proximo ab illius in coe-
los adscensione anno, ut ex calculo infra dando
constabit, & in quo Eusebium laudo testem,
qui ad annum vulgarem Christi XXXIV.
Pauli conversionem ad Christum collocat,
qui erat verus Christi annus XXXVII. Ad-
dere si libeat III. annos ad illos XXXIV.
praesto tum est annus vulgaris XXXVII. Si
porro hisce 37. annis annos XIV. adjeceris,
prodeunt anni LI. Hic est annus ille XIVmus,
quo synodus Hierosolymitana fuit celebrata

Gal. II. 1. Non tum simul posterior a Paulo ad Corinthios conscripta est epistola, quia plura hinc contigerunt, quorum in illa meminit epistola & quia dicit *πρὸ τῶν δεκατεσσάρων*, ad eo ut excurreret aliquantum temporis præterea. Nam abiit Hierosolymis Paulus Antiochiam, per Syriam Ciliciamque Derbas, Lystram & citra moras Phrygia, Galatia-Syria, Asiaque perlustratis, in Macedoniam, ubi paululum Philippis, Thessalonicæ, Veriæ, Athenisque substitit, indeque sesqui per annum Corinthi docuit. Inde Hierosolymam properabat, confirmatis e regione Antiochensibus, Galatis, Phrygibusque, & Ephesinis. Deinde III. menses in Macedonia terebat, Philippisque posteriorem ad Corinthios dabat epistolam. Tum per Asiam, elapso Paschæ festo, festinabat ad Pentecosten Hierosolymæ concelebrandam, ibi a Judæis circumveniendus. Quo factò in manus Felicis venit, qui ipse exacto biennio revocabatur Romam. Præcipue istud biennium Felicis investigationem sibi vindicat Actor. XXIV. 27. Eusebius sane in Chronico quatuor Felici annos attribuit. Josephus nil definit, præterquam quod Felicem Judææ ultima fere Claudii ætate præfectum esse indicat. Libro enim II. Bell. Jud. c. 8. in versione antiqua Latina ita: *Posthæc (Claudius) Felicem Pallantis fratrem destinavit ad Judeos, qui eorum provinciam cum Samaria, Galileam & Peræam*

Peraeam curaret. *Agrippam* vero de *Chalcide* in
 regnum magnum transtulit, tradens ei illam quo-
 que provinciam, quae *Felicis* fuisset. Erat autem
 ista *Trachonitis* & *Bathanea* & *Gaulonitis*. Addi-
 dit autem regnum etiam *Lysaniae* & *Tetrarchiam*,
 quam *Varus* rexerat. Donatio hæc in *Agrip-
 pam* juniorem redundans, contigit anno
Claudii X. expleto, *Jos. Ant. XX. 14.* Scri-
 bendum est *XII*mo, quia ei *Chalcidem* tum
 ademit, cui *Agrippa* præfuerat *IV.* annis *l. c.*
Nam XII. annus *Neronis* erat *XVII*mus
Agrippæ, ubi utique incipiendum est ab ex-
 ordio regni *Chaldaici*, ut calculus sibi con-
 stet; & præterea octavo imperii *Claudiani*
 defunctus est *Herodes Chalcidicus*, cujus
 tum regnum *Claudius Cæsar Agrippæ* juve-
 ni dabat, *Jos. l. c. c. 9.* Nec ante *Felix* plene
 ad procurationem *Judææ* admissus est, quam
Cumanus suo cum insigni detrimento disce-
 dere inde coactus esset. *Cumanus* vero da-
 mnatus est flagitiorum, teste *Tacito Ann.*
L. XII. p. m. 163. 164. 165. *Coss. Fausto*
Sylva & Salvio Othone, hoc est, vix inte-
 gro biennio ante *Neronis* principatum.
 Primo igitur imperii anno *Felix* procuratio-
 ne provinciae suae decessit, quia preces pro
 eo fratris *Pallantis* tum plurimum, qui ta-
 men inclinante ad finem primo imperii *Ne-
 roniani* anno auctoritate sua omnique gra-
 tia orbatus est, teste *Tac. L. XIII. An-
 nal.* sub init. Quare biennium illud a *Luca*

memoratum complectitur tempus totius procurationis Felicianæ integræ & indivisæ. Ut hæc uno obtutu contempleris, percurrere hanc Chronotaxin:

Annus Christi	Anni	menses	dies	
34 conu. Pauli a. N. C.	15			Augusti* anni residui
37. visionis.	22	2	16	Tiberii Suet. c. 73.
51. Synodi	3	10	8	Caii ex Dione Cass. L. LIX.
55. Felicis revocati.	13	8	19	Claudii Sueton. 45.
Summa	54	9	12.	

* Integri XV. anni dati sunt Augusto licet obierit LVII. anno nondum pleno XIV. Kal. Sept. i. e. XIX. Aug. nam quos menses Augusto addidi, eos Tiberio detraxi.

Quare Felix Judææ procurationem integram suscepit ad A. C. 53. (54.) & eo circiter tempore Pauli posterior ad Corinthios data est, adeo tamen ut ad annum 55. ad minimum locanda sit, quatuorque anni illud quatuordecim annorum spatium excedant, qui per ω indicantur. Non tamen putandum est, Felicem in Palæstina non moratum esse ultra biennium, quia aliquot per annos tractibus quibusdam Cananæ præfuerat, non quidem

dem toti, sed ejus parti. Supremo sane Cumanum tempore sociatam cum eo Felix tenuit procurationem, Cumano Galilæam, Felice Samariam tuente, quippe qui *jampridem* tum, ut Tacitus refert Ann. L. XII. p. 264. *Judæa erat impositus*. Lipsius quidem in Notis p. 319. ad illum locum Taciti animadversionem hujusmodi expromit: *Non hercle ita pridem, si Josepho in gentili historia credendum. Præpositus demum est post Cumanum damnatum* L. II. B. J. c. 22. Verum frustra Tacito denegatur fides, cum Paulo consentiat, nec Josephus loco excitato c. 8. qui duodecimo Claudii anno Agrippæ juniori Trachonitin, & Batanæam & Gaulonitin regiones contributas esse memorat, *quæ antea Felicis fuerant*. Quare Paulus, plurimos annos Judææ Felicem præfuisse, recte tradidit. Biennium vero illud ab integra Felicis procuratione submotoque Cumano computandum est. Antequam vero ab eo in vinculis fuisset detentus, Hierosolymis XII. dies versatus erat Act. XXIV. 11. conf. Act. XXII. 30, XXIII. 11. 12. 20. 32. adeo ut per sex dies votum soluisset Act. XXI. 27. & V. illi dies Act. XXIV. 1. ab initio tumultus Judaici supputandi sint. His XII. diebus, qui paulo post Pentecosten inciderant Act. XX. 16. præmittendi sunt dies, quos Philippis institutum iter versus Hierosolymam poposcit, nam Philippis scripta est epist. altera ad Corinthios,

ut plurimæ rationes & subscriptio ipsa indi-
cant.

Dies.

- | | | |
|---|------|-------------------|
| N. 1. Philippus iter Troada
suscepit per | V. | Act. XX. 6. |
| 2. Troademque perve-
nit, ubi consumpsit | VII. | I. c. |
| 3. Venit Chion die se-
quenti | I. | I. c. v. 15. |
| 4. Inde Trogilion | I. | I. c. |
| 5. Inde Miletum | I. | I. c. |
| 6. Ubi moratus circiter | II. | I. c. v. 16. 17. |
| 7. Venit inde Coa | I. | Act. XXI. 1. |
| 8. Inde Rhodum & Pata-
ra | I. | I. c. |
| 9. Inde Tyrum circiter | V. | I. c. 1. 2. 3. v. |
| 10. Ubi moratus | VII. | v. 4. |
| 11. Inde Ptolemaida | I. | v. 7. |
| 12. Inde Cæsaream | I. | v. 8. |
| 13. Ubi moratus plures
dies e. g. | VI. | v. 10. |
| 14. Antequam templum
ingressus | I. | v. 18. |

38.

Quia autem N. 6. 9. non sunt certi dies
41. (vel 46.) ex liberalitate complebimus, ut
Pentecostali tempore circiter venerit Hiero-
solyma, exacto Paschate iter illud ingressus.
Quod si igitur unum demamus annum a primo
Neronis, qui est LV. vel LVI. ex æra vulga-
ri,

ri, annus LIV. vel LV. remaneret pro tempore scriptæ alteræ ad Corinthios epistolæ. A Synodo Hierosolymitana vero intercedunt anni 4. qui luculenter colliguntur ex Act. XVIII. 11. XIX. 10. XX. 2. ut taceam ea temporum momenta, quæ non clare sunt memorata Act. XV. 30. 36. 41. XVI. 1. 4. 11. 12. XVII. 1. 2. 10. 14. 15. 17. XVIII. 1. adeo ut non solum III. illi menses, qui VI. ante dictis annis deerant, expleantur, sed facile aliquid redundet. Unde simul patet, Paulum sequenti statim anno a Christo in cœlos evecto fuisse emendatum & ad indolem Christi deductum, nam alias calculus non constaret ulla ratione.

§. 3. Gorionides quidem L. VI. c. 1. videtur Felici plures dare annos. Verum cum Floro eum confudit, ut J. Fr. Breithaupt docte annotavit p. 540. nota 2. Namque iste liber Gorionidis mire interpolatus, laceratus, & forte Josepho suppositus est, nec certa procuratorum Judææ Chronologia inde componi potest. Sunt tamen præterea Chronologorum quidem primipili, qui Felici plures largiuntur annos. Quemadmodum vero tam illustria veneror vestigia, tamen, quod pætantorum virorum dixerim, nulla apparet ratio, quæ mihi id ita esse persuadeat. Nam ad primum Neronis annum Tacitus Ann. L. XIII. tædium refert, quod Pallas frater Felicis in se
mo-

moverat, adeo ut mox vilis, paulo post contemptus & de ponte dejectus esset, Agrippina ipsa honoribus spoliata, cujus muliebri superbia Pallas innitebatur. Objici etiam mihi posse sentio, visionem Paulo de gentibus convertendis ad Christum accidisse in via Damascena ob Act. XXVI. 16. 17. 18. Sed ita 21. anni ad Felicis discessum præsto sunt, de quibus incommode dictum foret: *Ante annos quatuordecim.* Nec Jesu oraculum id fuerat, sed Dei per Ananiam loquentis, ut ex Act. IX. patescit. Est igitur firmiter satis, ut puto, demonstratum, Felicis discessum ex Judæa cadere in annum Christi vulgarem 55, eodemque scriptam esse alteram ad Corinthios epistolam, & quod forte compluribus displicet, biennium Felicis ad integram ejusdem procuracionem, post submotum Cumanum, referendum esse.

Brevis vitæ deli-
neatio

HENRICI HULSII,
Theologi *Duisburgensis.*

H *Enricus HULSIUS* natale solum accepit *Cronenburgum*, quod ducatus Montani oppidum est, ob abundantiam opificiorum fabrilium haud incelebre. In eo enim cultri, enses, & in primis falces messorum copia ingenti fabricantur, & expoliuntur, atque inde per omnem Europam, qua patet, per Austriam, Galliam, Hispaniam, Lusitaniam, & præcipue per loca septentrionalia, Daniam, Sueciam, & Russorum imperium distribuuntur. Ibi loci eum ex matre *Margareta Steinbergia*, *Petri Steinbergii*, Pastoris *Medmanniani* filia ad d. X. Oct. a. MDCLIV. suscepit *Antonius HULSIUS*, *Hilda-Montanus*, ecclesiæ *Cronenburganæ* per annos XI. *Elverfeldanæ* autem per annos XXIX. fidelissimus Minister. Aviejus *Henrici Hulsii*, qui ab actis iudicii fuit *Hildæ* (a) & *Hænæ*, Fratres fuere
Wil-

(a) Hic tractus Montani vicus patria fuit *Guilielmi Fabri-*

Wilhelmus (b) & Antonius Hulsius, quorum ille ecclesiam pavit Wrevensem, hic autem Theologiam docuit cum in Gymnasio Bredano, tam in perinolyta Lugdunensium Academia, ex scriptis, non paucis nomen haut ignobile nactus. (c) Prima studiorum fundamenta posuit in ludo literario Elverfeldano, idque tam feliciter, ut puer annorum circiter tredecim ad lectiones publicas promotus, a. MDCLXVII. Duisburgum fuerit missus, ejusque nomen rectore Wirico Scriba, Medicinæ D. ejusdem disciplinæ & lingg. Orientalium Professore, studiosorum albo fuerit inscriptum. Heic in contubernium & disciplinam traditus est Jo. Hermannii HUGENPOTHII, Theologiæ Doctoris & Professoris, patris sui antea collegæ, a quo se principia Philosophiæ & Theologiæ ad ductum Cartesii & Cocceji im-

bricii, Hildani, Medici & Chirurgi præstantissimi, cujus exstant *observationum* centuriæ VI. cum libris plurimis aliis.

- (b) Hujus filia nupsit præstantissimo Theologo nostri Theodoro UNDER-EICKIO, cujus memoria ut apud bonos omnes in benedictione, ita mihi sacra est, quod die lustrico, quo sacro baptismo tinctus fui, sponsor, testisque adfuit, suumque mihi imposuit nomen. T. d. H.
- (c) Exstat in ejus laudem oratio Frid. SPANHEMII, F. quæ duodecima est orationum, in Tomo Operum ejus III. exstantium. Non hic itaque Antonius cum hoc Henrico confundetur imposterum, quod adhuc per sæpe factum fuit.

bibisse grata mente sæpe professus est. Anno MDCLXXIII. concessit Marpurgum, ibique in primis operam dedit Reinoldo PAULI, Viro quantivis pretii, causam Christi contra Socini discipulos feliciter tum agenti; Hinc abiit Lugdunum Batavorum & tandem Harderovicum Geldrorum, studiis Academicis imposturus coronidem, ibique laurea doctorali decorandus, id quod factum est ad d. 6. Jul. 1679. dissertatione inaugurali promotore *Samuele à DIEST. S. Th. D. & ejus, ut & Lingg. S. Professore primario habita.* Interea temporis & ore & scriptis præstantes animi sui dotesta patefecit, ut anno 1681. vel sequenti (neque enim certi aliquid heic habeo dicere) dignus fuerit habitus, cui cathedra Theologica in Academia Teutoburgensi ad Rhenum committeretur. Eoque munere summa cum dexterritate, neque sine auditorum affluentia ad vitæ finem functus est. Cœlebs vixit ad d. X. Aug. a. 1705. quo uxorem sibi sociavit Annam Mariam *Webrdiam*, cujus Pater Caspar Wehrdt Amstelodami exercuit cauponariam. Hanc autem expertus est, ingenii asperioris & (d)
plus

(d) Potuisset illa augere dissertationem historico-moralem, quam de *malis eruditorum uxoribus*, conscripsit Lipsiaeque a. eodem 1705. edidit Godfr. *Boetnerus*. Quod si haec recudenda esset, proh hominum fidem! quantis locupletari posset adcessionibus! Nam

*Hanc si materiem plene tractare labores,
Quam tibi scribendam grande volumen erit.*

plus Aloes habentem, quam mellis, talemque qualem divam suam Xantippen eum expertum esse ajunt, (e) qui ex sententia oraculi mortalium sapientissimus judicatus esse dicitur. Quamquam, & ne cum illa quidem comparanda videbatur. Socrati enim ferocem uxoris suæ animum visum esse mitiorem, tolerabilioremque, eo nomine, quod liberos illi pareret, auctor est Diogenes Laertius. At neque id solatii contigit Hulsio, cujus Juno nulla eum unquam prole parentem fecit. Illa autem cum liberaretur ad d. XII Sept. a. 1720. aliam vitæ torique sociam sibi d. XXIV. Augusti sequentis anni adscivit, *Gertrudem van EICKEN*, annorum circiter sedecim adolescentulam, parentibus honestis quidem, at iniquitate temporum, ad tenuiorem conditionem reductis genitam. Quam ob causam cum necesse haberet, se aliorum honestis addicere servitiis, Hulsiano famulatio aggregata est, unde cum Hulsio commoda occasio subnata fuisset, liberalem ejus indolem, fidem, animique lenitatem, qua sæpe exasperatum heræ animum sedare, atque emollire illa consueverat, explorandi propius, uxorem illam solemnî cærimonia domum duxit. Neque hæc res ei cessit infeliciter. Quantum enim provecæ ac debilitatæ ætatis suæ auxilium

(e) *Ajunt*, inquam. Neque enim nescias sum illius causam sibi defendendam suscepisse Cl. *Heumannus* in *Actis Philos. T. I. p. I. diss. 4.*

lium ac dulce levamen curarum, in ea inveniret, id postremæ suæ voluntatis tabulæ statutum esse voluit, quibus eam bonorum suorum omnium ex asse heredem constituit. Diem suum obiit die secundo paschatos, qui erat IV. Kal. Apr. A. C. c16ccXXIII, æt. LXIX.

Scripta, quæ edidit, sequentia ad meam notitiam pervenere.

Augensalbe vor einen übelsehenden Handleiter; 1680. Scriptum hoc oppositum fuit Johanni *Holterhofio*, Ludimagistro Solingensi, Lutherano, qui in doctrinam Reformatorum acerbo scripto invectus fuerat.

SULAMITH; oder Überzeugung und Vereinigung der Evangelischen / entgegen gesetzt dem neulich im Herzogthum Bergh ausgelassenem übelgenantem / göttlichem Feuer; Duisb. 1683. 2. Alph. in 4. Hic liber quoque oppositus est eidem *Holterhofio*. Constat duabus partibus, quarum prima causam Reformatorum contra ita dictos Lutheranos tuetur, altera ostendit, qua ratione sententiæ Evangelicorum conciliari possint commode.

Summa Theologiæ s. liber de molitione & opere & sabbatho Dei; Lugd. B. 1689. 8. & deinde aliquoties, & quidem sub nomine *Systematis Theologiæ pleni* recusa Lugd. 1694. 8. Alph. II. pl. 2.

De Principio credendi, libri duo. Lugd. B. 1688. in 12. quibus cum librum de modo percipiendi S. Class. VII. Fasc. V. M m m Scri-

Scripturae divinitatem eodem anno opposuisset, & Franequeræ imprimi fecisset Jo. REGIUS, Philosophus Franequeranus, illi statim Vindictas suas objecit Hulsius.

Somnium. Teutopoli 1694. 12.

De Vallibus Prophetarum sacris liber unus, Lugd. B. 1693. 4. 2. Alph. 10½. pl. Ejusdem prodiit Editio secunda marginalibus, corollario ac indicibus auctior & emendatior; accedunt ejusdem Figuræ temporum continentes in se schema trinum integræ prophetiæ historicæ. Amst. 1701. 3. Alph. 8. pl. 4.

Jura Guilielmi III. Britanniae Regis, 4.

Verba Ithiel, Uchal & Lemuel sive in ultima Paroemiastæ Salomonis capita commentarius propheticus. Lugd. B. 1693. 4. Alp. 1. pl. II.

Dissertationes de desiderio mulierum & Deo Mausim; Duisburgi 1694. 4. De Deo Ventre, de separatione ovium ab hoedis! pluresque aliæ.

Commentarius in Israelis prisca prerogativas ac bona sub V. T. dissertat. XV. inclusus, quem ad illustrandum sequuntur materiæ affines XVII. sectionibus res V. T. nobiliores complexæ Lugd. B. 1713. 4. 5. Alph. 7. pl. En tibi syllabum dissert. quæ illi commentario adjunctæ sunt; De vera natura præcepti de Sabbato; Hirco Azazel, voto Jephthæ, coma Simsonis, Assyis V. T. Cherubinis gloriæ, symbolis paradisi, immolatione Isaaci, femore Jacobi percusso & claudicante, Samuele nato, & cantico matris Annæ, de LXX. Septimanis Danielis. Corpore, velo, & se-

sepulchro Moſis, Benedictione Aaronis, Regeneratione V. & N. T. Juſtificatione peccatoris ex opere cum ſub N. tum præſertim ſub V. T. Purgatione lepræ, menſtrui & impuri ex mortuo; de præjudiciis & erroribus ex neglectu & ignorantia Propbetiarum profectis.

Cauſa Dei, oder des zerrütteten und verlaſſenen Zions Klage Ihr. Königl. Majeſtät in Preußen pflichtmäßig vorgetragen; Duisburg. 1717. 1. Alph. 4. pl. f.

MELCHISEDECUS, una cum parente ex tenebris cum ſcriptura ſacra, tum fabuloſa gentilis emergens ac caput protollens; Accedit ad finis proxime digreſſio ad ſpecimina potiora alia gentilium fabuloſa, & Dionis Chryſoſtomi oratio de Illo non capto. Lugd. B. 1706. 1. Alph. 2. plag. 8. In illo defendere conatur Melchizedecum fuiſſe non alium ab Henoch, & utrumque in Mythologia gentili ubique fere ſe inveniri arbitratus eſt. Edidit autem cum Jo. Hermannus von ELSWICH Melchizedecum ab Henr. Hulſio minus feliciter in Henoch detectum. Wittenb. 1710. 4. tum Cl. Theologus. Jo. D'OUTREIN tractatum de Melchizedeco non Henoch contra hypotheſin Viri C. Henr. HULSII. Amſt. 1713. 8.

Cum a. 1702. David HUGUENINUS collega ejus; (f) Romanæ eccleſiæ nomen dedis-
M m m 2 set,

(f) Miram hujus viri ſententiam, qua ex loco Deut. XVIII, 15. Papæ auctoritatem exſculpere, atque hunc

set, suæque mutationis rationes publico scripto, quod appellabat, *Catholica religionis veritatem*, Coloniae Ubiorum a. 1703. impresso, exposuisset, hujus scripti refutationem quoque in se suscepit Hulsius. Vulgavit enim *pseudocatholica religionis inanitatem oppositam prætense ejus veritati in elencho Davidis HUGUENINI, Apostata famelici*, Duisburgi. 1704. 8. 2. Alph. 6. pl. Quo etiam aliisque argumentis factum est, ut de reditu in ecclesiam nostram serio cogitaverit Hugueninus, illiusque impensum desiderium aperuerit Theologis Heidelbergen- sibus, qui, dum id agunt, ut illi de statione quadam prospiciant, ille interea rebus mortalium eripitur. Id quod mihi certis documentis exploratum est.

Multa habuit præter hæc alia, quorum *en- dactyl* jam ante viginti, & quod excurrit, annos, promisit in præfamine, quod alteri *Val- lium* propheticarum editioni præmissum est. En tibi eorum indicem. Comment. in *Joan- nis Apocal.* concinente *Daniele*. In *Esaïam*. In *Ezechielem* concinente *Cantico Salomonis*. In *Dodecapropheton*. In *ultima Jobi S. Leviathan & Behemoth*. In præludia & *parabolas N. T.* In *annum Judæorum visum in emblemate*. In *plagas Aegypti*. In *Conjugium Abrabæ mysticum*. In *epistolas Catholicas*. In *Epist. utramque ad*

Co-

hunc magnum ibi promissum prophetam esse docere ausus fuerat, singulari differtatione ad- lescens tum temporis examinaui, quæ edita est Mar- purgi. 1704. 4.

Corinthios. His subjectum iri pollicitus est Theologiam emblematicam. Doctorem perplexorum, tomis variis constantem. Nodos solutos Gordios in elucidatione difficiliorum Theologie capitulum. Epicrisin in locos Theol. communes. Pentalogum de desiderio mulierum, Deo Mausim, Deo ignoto, Deo ventre, Deo mundi. Diss. de modo cogitandi trinitatem. Diss. de modo concipiendi creationem. De mysterio Numerorum sacrorum. De Melchisedeco. De Hirco Azazel. De veritate sacra ad conscientiam se commendante. De Duratione ac tempore regni Antichristi, Regni Mahometani ac Turcici, & Imperii Romano Germanici. Opus Irenopolemicum de tolerantia & fundamento trium in Imp. Romano admissarum religionum. Denique specimina ex fabulosa gentilium Theol. de Raptu Helenæ, de XII. Laboribus Herculis, de lyra Orphei; Valde tamen exigua ac pæne nulla spes superest, horum quidquam promulgatum iri, præcipue cum schedæ residuæ tam intricato charactere exaratæ

sint, ut legi vix possint.

THEODORI HASAEI

De

JODUTHA

ΠΑΡΑΛΕΙΠΟΜΕΝΑ.

ARGUMENTUM.

Prooemium §. 1. *Jodutha non est nomen idoli a Germanis veteribus culti. Thoth, Teuth, Tauth, Teutl. An a Syrorum Adath. 777?* §. 2. Crantzii sententia laudatur. *Jodutba non dicta est, quasi Gedeute.* §. 3. Quis primus hujus rei meminerit. *Hermannus Cornerus. Eggehardus.* An hic auctor sit *Chronici Magdeburgici.* §. 4. *Joduthe vel Tjodate originem debet clamori militari in praelio Saxónico: Deo ajuti; vel Deus adjuta.* Nummus Heraclii. §. 5. *Talis Clamor in praelio jam in usu fuit vetustissimis temporibus; 2. Mac. XII. 36. Apud ipsos Romanos* §. 6. *Inter Christianos medii aevi. Ut & Turcas. Erat tessera militaris in bello sacro.* §. 7. *Formula vulgata veterum. DEUS in ADJUTORIUM meum intende &c.* §. 8. *Quomodo Germani uti potuerunt voce Italica? Mordio.* §. 9. *Clamare Joduth, nihil aliud notat, quam implorare aliorum auxilium. Quod variis exemplis ostenditur.* §. 10. *& ex statutis Bremensibus* §. 11. *& formula judicii bannitorii. Phrasis וְרַחֵם וְרַחֵם* §. 12. *Jodutta an fuerit idolum veterum Germanorum Zedutte; Z pro di. Mons S. Jodutae.* §. 13. *Illud originem debet statuae à Saxonibus erectae in memoriam victoriae* §. 14. *In quo secuti sunt morem vetustum, quem*

quem jam observavit Samuel. Lapis *adjutorii*. I. Sam. VII: 12. §. 15. Idem factum à Carolo M. Mons S. *adjutorii*. Capella S. auxilii. *Zanthulpe* in comitatu Diepholtano. Detmoldia Lippiacorum, *Dietmelle* §. 16. Totius rei summa repetitur, & S. Jodutae origines panduntur. S. *Adjutor*. *Deus Adjuta* §. 17. Coronidis loco ostenditur origo vocis *Posune*, qua carcer monasterii indicatur. *Prison*, *Priso*, *Prisona*, *Prisain*, *Garzaun*. Vetustum poema Germanicum illustratur. §. 18. Ut & vocis *Treze*, quae notat locum, in quo *tractatus* publicae pacis asservantur. *Treuge*, *Treva*, *Treves*, *Treveskamer*. §. 19.

§. 1.

Nuper locum quintum fasciculi supra tricesimum noni adsignavi Viri dignitate, & virtute illustris *Gerardi à MASTRICHT* nunc coelo recepti, disquisitioni de *JODVTHA*. Quamquam ille pro vasta, qua instructus erat, lectione videri posset hoc argumentum exhaustisse prorsus, illam tamen cum tererem, deprehendi non mihi nihil relictum esse racemationis, meque adferre posse aliquid, quantumcunque etiam illud est, quo illa vox, quae tam terribilis atque execranda vulgo visa est adhuc, illustretur amplius, illique horribile illud, sub quo vulgo apparuit *μορμολυκειον*, detrahatur.

§. 2. Neque enim illis adsentiri possum, qui existimarunt illam vocem esse nomen aliqujus idoli a veteribus Germanis culti, adora-

tique. Scio quidem illis Deum vocatum esse, *Duth, Theuth, Tiut, Taist, Theith, Diad, Diud, Thieth, Deat, Duth, Dueth, Duit, Teot*, aliisque appellationibus his affinibus, sicut Aegyptii coluere suum *Thoth* vel *Theuth*, Galli & Britanni *Teutatem*, Phoenices *Taaut*, a quo non abludit ipse Mexicanorum *Teutl*; quod observavit Huetius in Dem. Ecc. prop IV. c. 7. §. 6. hinc quoque hujus vocis vestigia in multis Germanorum nominibus, vocibusque relicta superesse, creditum à doctis antiquitatumque Germanicarum gnarissimis Viris. Neque dubitem huc pertinere ipsas voces Deus & 93, litera S. mutata in T. quod fit alias, uti *Thor* dicebant pro *Thor*, *Atbyria* pro *Affyria*, & *Cuthaei* dicti sunt à *Chus*, uti & *Zeus* & 93 five Deus non differunt. *Jodutham* tamen fuisse idolum, ejusque nomen ex voce *Jo* & *duth* conflatum, persuadere mihi nequeo, cum ob alias rationes, tum praecipue, quod nomen illud *Duth* à saeculis immemorabilibus desierit esse in usu, saltim nulla vel vola vel vestigium, neque in veteri, neque recentiori historia, aliisve monumentis exstet alicujus deastri à majoribus nostris ista sub appellatione *Joduthi* divinis honoribus tractati. Si sola propinquitas literarum & soni conficere rem quiret, ecquis non cogitaret potius de *Adath, Hadath, Chadath* (אהדד vel אחר) Syrorum maximo summoque Deo, ut illum appellat Macrobius Saturn. L. I. c. 18.

§. 3. Adsurgo itaque sententiae, cujus suo jam tempore doctioribus viris in mentem venisse in Sax. L. V. c. 36 scribit, Albertus Kranz- tzius, cujus verba supra p. 516. legi possunt, quaeque luculenter & copiose illustravit Mast- richtius. Videlicet, originem vocis deri- vandam esse e praelio illo illustri, quod an- no saeculi duodecimi quinto supra decimum in agro Mansfeldico inter Caesaris Henrici V. & Saxonum, quibus Lotharius, Saxoniae Dux praecerat, copias cum illius clade initum fuit. Ejus monumentum perpetuum erexe- re statuam, quae deinde nomen nacta fuit *Jo- duthae*, quamque rudis, idolorumque adue- ta venerationi multitudo divinīs postea pro- secuta est cultibus. Quod ipsum rei caput adinet, res sic satis bene se habet. Ipsa au- tem denominationis ratio indaganda uberius; atque explicanda est. Neque enim pollicem premere possum Mastrichtio, & reliquis, quos ille secutus est, qui vocem *Joduthe* pu- tant esse Germanicum *Gedente*, quod idem esset, ac Latinorum *monimentum*, & hinc sta- tuam illam commemoratam nomen suum esse adeptam, quod vel ita vocaretur vulgo, vel ipsa haec vox illi fuerit insculpta. Vide diss. Mastr. §. 8. Verbum enim illud Germa- nis non est in usu; neque unquam, quod sciam, fuit. *Deuten* iis significat *significare*. Rem autem, quae aliquid significat, vocari *Gee- deute* nusquam me legisse memini. Dicimus

Bedeutung/ vel potius ein Zeichen/ Gedencs
 zeichen/ quam Gedeute. Ab omniautem veri
 abhorret similitudine illi columnae in sculptū
 fuisse nomen Gedeute/ nulla alius rei, quae
 significari debuit, addita commemoratione.
 Ne dicam vocem illam nimis esse generalem,
 quam ut huic tropaeo sigillatim datam esse di-
 cas, cum ita omni signo & monumento con-
 veniat.

§. 4. Antequam autem ipsam rem expedi-
 am, observare liceat, non Chronographum
 illum Saxonem, sive Conradum Bothonem
 primum fuisse, qui hujus rei meminerit, quod
 Cl. Mastrichtio nostro §. 6. visum fuit. Ha-
 beo enim scriptorem integro paene seculo
 vetustiorē Bothone, *Hermannum CORNE-
 RUM*, Lubecensem, qui ineunte saeculo de-
 cimo quinto vixit, cujusque Chronicon ad a.
 1435. continuatum legitur. Quis ille fuerit,
 docuere nos, cum Vir C. Jo. *Henricus von
 SEELEN*, qui non minus praeclare, de relite-
 raria, quam de schola Lubecensium, cui prae-
 est, meretur, in *selectorum literariorum* spec. III.
 tum Vir Ill. Jo. *Georg. ECCARDUS* in prole-
 gomenis quae T. II. *Corporis historici medii aevi*,
 quod nuper admodum prodire fecit, & cui
 hoc Corneri opus maximam partem inseruit.
 En tibi ipsa Auctoris verba. *Undecimo anno
 Henrici* (intelligit quintum) *qui est Domini
 MCXVII.* (in eo errat, cum id factum sit a.
 imperatoris nono, & Christi 1115.) *Saxoniam
 sibi*

sibi rebellantem devastare coepit & contra Saxones
 plura castra erexit. Cui Reinardus episcopus Hal-
 berstadiensis, Leiderus (al. Lotharius, Comes
 Supplinburgensis, qui deinceps opera Mogun-
 tini & Pontificiis adjutus successit Henrico)
 Dux Saxoniae, & Hermannus Comes de Horne-
 burg cum multis aliis occurrerunt in Welpesholte,
 ubi partibus congressis bellum commissum est, & in-
 terfectis multis de Imperatoris exercitu Rex victus est
 occiso Hogero Comite de Mansvelt. In hujus Victo-
 riae memoriam Saxones in loco belli capellam con-
 struxerunt, in qua statuam in modum viri armati ar-
 mis patriae locaverunt cum galea ferrea. Hunc vi-
 rum rustici illius terrae & rudes SANCTUM TYO-
 DUTE vulgariter nominant, quasi Saxones victo-
 riam ipsius auxilio habuerint. Videmus hic
 eum testem narrationis suae allegare Egge-
 hardum, ex quo si tota ejus haec narratio de-
 sumta fuit, haberemus rei antiquissimum &
 coevum testem. (a) Floruit enim hic teste
 Trithemio ipsis his temporibus, librosque
 suos ipsi Imperatori Henrico V. inscripsit.

§. 5.

(a) Celeberrimus Eccardus putat Eggehardum non
 diversum fuisse ab auctore *Chronici*, quod a quibus-
 dam *Magdeburgicum* est vocatum, quemque Leibni-
 tius *Annalistam Saxonem* appellare solebat, cujusque
 opus ille nuper in primo laudati operis tomo exsta-
 re voluit. De illo autem ut dubitem vel ipsa fecit
 collatio narrationis, quam uterque de hoc prae-
 lio dedit. Ne enim nunc dicam diversum annum
 indicari, cum Cornerus perperam XVII. Annalista
 rectius XV. illius saeculi memorent, complura sunt,
 circa quae parum inter eos convenire videtur.

§. 5. Sed, ut nunc rem ipsam, idque ab ovo adgrediar, valde fit verosimile Saxones exercitum Henrici V. praelio aggressuros, (posteaquam Reinhardus Halberstadius Praesul, illiusque belli fax & tuba, singulari & proluxa oratione suos ad *AUXILIUM* à Deo devotis precibus impetrandum serio cohortatus fuisset, ut narrat Spangenbergius, sive invocato Dei & S. Stephani protomartyris *AUXILIO*, ut habet Chronicon Halberstadiense apud Leibnitium script. Brunsvicensium T. II. pag. 132.) tesseram hanc militarem constituisse *DIO ADJUTI!* id est, *ó Deus sis nobis auxilio!* *Gott heisse vel hilf Gott!* atque hæc verba in ipso conflictu a militibus ardore praelii incensis magna cum vociferatione ex vetustissimo Germanorum more fuisse exclamata. Nisi mavelis usos illos formula alia, v. gr. *DEUS ADJUTA*, quae occurrit in nummo Eraclii apud Spanhemium de praest. & Usu Num. p. m. 837. in quo ab una parte cernitur Eraclius cum Eraclio Constantino, filio, in altera crux supra globum & basim erecta, cum memorabili inscriptione, *DEUS ADJUTA Romanis.*

§. 6. Nihil autem heic factum est, quod ab antiquissimorum temporum vulgari consuetudine abhorreret. De Juda Maccabaeo 2. Mac. XII: 36. legimus illum invocasse, *illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantis ac fatigatis,*

tk, DOMINUM ADJUTOREM (ut vertit vulgata versio) incipientem voce patria & cum hynnis clamorem extollentem fugam Gorgia militibus incussisse. Ipsi Romani hac formula: DIS JUVANTIBUS utebantur in aciem processuri. Ita Aemilius apud Sall. hist. L. I. p. m. 394. ita P. R. alloquebatur; *Adeste, Quirites & BENE JUVANTIBUS DIS, M. Aemilium Cos. ducem & auctorem sequimini ad recipiendam libertatem.* Parili in casu Marius apud eundem in B. Jugurth. c. 85. *Profecto DIS JUVANTIBUS, omnia matura sunt victoria, praeda, laus;* Ita Scipio apud Liv. L. XXVIII. c. 32. orationem suam claudit. *Proinde DEIS BENE JUVANTIBUS sequerentur.* Apud eundem L. VII. c. 10. Dictator T. Manlium dimicationem singularem ingressurum ita affatur. *Perge, & nomen Romanum invictum JUVANTIBUS DIS praesta.* Ibidem c. 32. Valerius consul signum pugnae propositurus ita suum sermonem finit. *Nunc, quod instat, DIIS BENE JUVANTIBUS, novum atque integrum de Samnitibus triumphum mecum petite.* Quae etiam formula apud eundem passim existat.

§. 7. Posterioribus autem temporibus simile symbolum in usu fuisse Christianis in bellis versantibus, docemur his verbis Leonis Imper. in tacticis c. VII. n. 74. *Οταν δε πυκνωθεισιν και η παραταξις καταλογον απο ενθεσκαρισθουλη γενηται των πολεμιων, και μεθισπαν-*

τως ἢ συμβολῆ συναπτεῖσθαι, παραγγεῖλη, ἔτοιμοι:
 καὶ αἱ δὲ διαδεχομεὶς καὶ κεραιζόντες, ΒΟΗΘΕΙ: καὶ
 παύλων ἀποκλεινομένων ἰσως καὶ συμφωνως; Ο
 ΘΕΟΣ; quæ ita vertit Checus: Quando au-
 tem densata acies ad unius sagittæ ictum ab ho-
 stibus abfuerit, & consuetatio futura est, dicitō
 PARATI; alias statim excipiat & clamet, JU-
 VA, & confestim una claraque voce omnes per-
 sonet, DEUS; Vides Christianos milites in
 praeliis inclamasse JUVA DEUS; quid hoc
 aliud est, quam DIO AJUTI? (b) Haud
 absimilis locutio est, qua in bello sacro ute-
 bantur cruce signati milites; ADJUVET
 NOS CHRISTUS & sanctum sepulchrum ejus:
 Audiamus Rogerum de Hoveden, Ann. parte
 II. p. 773. editionis Henr. Savillii, qui cum
 scriptorem συλλογῆ script. Anglicanarū rerum
 Francofurti 1601. editæ, inseruit, Christiani
 adscendentes in altum clamaverunt alta voce si-
 gnum Christianorum; ADJUVET NOS
 CHRISTUS DEI FILIUS ET SANCTUM
 SEPULCRUM EJUS! Ad hanc vocem pagani
 exterriti fugerunt; & quæ sequuntur. Ubi
 vides

(b) Ipsi quoque Turcae etiam nunc in bellis eam for-
 mulam adhibent. Patet illud ex verbis quæ in
 grandi illo vexillo, quod in obsidione Viudobo-
 nensi a. 1683. in tentorio magni Vezirii inventum
 fuit, lecta sunt. Verba enim illa Arabica inter-
 pres quidem anonymus, qui descriptionem ejus
 Romæ edidit eopse anno, ita transtulit; E ti A-
 JUTI DIO con AJUTO potenti. Nota heic no-
 strum DIO AJUTI.

vides talem exclamationem vocari *Christianorum signum*, i. e. militarem tesseram. Qui quidem locus cum forte fortuna mihi obiectus sit, non dubito, quin & alia eandem rem probantia in scriptoribus, qui historiam belli sacri magno numero persecuti sunt, passim reperturus sit, cui illos eam in rem, quod mihi nunc non vacat, evolvere colubitum fuerit.

§. 8. Notari hac occasione velim Christianis similem formulam, in qua Dei adiutorium implorabant, ex Psalmis depromptam unam maxime fuisse in usu. *DEUS in ADJUTORIUM meum intende; Domine ad ADJUVANDUM me festina.* Haec imprimis commendatur apud Cassianum in coll. X. & quidem Abbatis Isaaci de Oratione coll. II. cap. 10. Hanc vult ad perpetuam Dei memoriam possidendam inseparabiliter propositam pietatis formulam. Hanc, ait, recipere omnes affectus, quicunque inferri humanae possunt naturae, & ad *OMNEM* statum atque *UNIVERSOS* incursus proprie satis & competenter aptari. Porro plus XV. enarrat casus, in quibus illam ingeminandam esse serio & verbis gravissimis exhortatur, multaque ad eam commendandam affert. Hanc, pergit, in adversis ut eruamur, in prosperis, ut servemur, incessabili jugitate fundendam esse; Hanc in opere quolibet seu ministerio vel in itinere decantandam, & quae plura hujus generis sunt. Id tantum ex his

his nunc observemus, mirum nobis non debere videri, si similis formula tum sub auspiciis praelii fuit usurpata.

§. 9, Neque id nos moretur, Germanos in pugna illa voce usos fuisse *Italica*. Illius enim rei ratio dari potest haud difficulter. Fuit enim non exiguus Itolorum numerus in illo exercitu. Consilio enim & impulsu Pontificis Romani bellum illud conflatum fuerat. Aderat Diethricus Pontificis nuntius. Frequentes erant ea tempestate Germanorum in Italia excursiones. Paucis antea annis Henricus Caesar in Italia victorica arma circumtulera, ipsa gentium Domina Roma capta. Tum fieri non potuit, quin copiis ejus multi adscriberentur ex ea gente, quae deinde in Germaniam translatae, fuerunt. Et quot etiamnum voces in usu sunt, quae, cum aperte Italicae sunt originis, nunc civitate donatae Germanica, vix ex Italia esse profectae agnoscuntur? Vel unicam vocem revocemus nobis in memoriam, impiam illam quidem, huc tamen apprime facientem, quod ejusdem sit significationis & usus, cujus est *Jodute*; pariterque cum hac *ὀδύππου* indicet; MORDIO, quam ex Italia repetendam ecquis ambigat? Habemus itaque originem *to Jodute*, quae vox ad dialectum Germanicam flexa est, & ex inclamata maxima cum vehementia AJUTE vel DIO AJUTI effluxit: Ad illius autem sonum magis accedit, si scribitur, ut

ab Hermanno scripta est Córnero TYODUTE, vel ut in statutis nostris legi statim videbitur, *Tyodute*, quae a DIO ADJUTI perparum differt. Nisi malles *Jodute* explicandum, per auxilium, *bulpe*, *tbo* autem praefixum esse Saxonum usitatum *tbo*, ut *Tbo Jodute* clamare, idem sit, quasi *tbo bulpe roopen*.

§. 10. Certe id verbi nihil aliud notare, quam implorationem *auxilii*, quae in summo periculo cum magno impetu fit, ex omnibus patet rerum temporumque circumstantiis in quibus illud adhibetur. Ita Henr. Vagedes in *πevl.* quæst. hist. quae in operibus ejus junctim Rintelii a. 1703. in 4. editis p. 288. legitur, communem Westphalorum interminantium vocem esse scribit. *Ick wil dick slaan, du schalst JODUT ropen*; i. e. Ita a me verberibus excipere, ut aliorum auxilia imploranda tibi sint. P. Albinus in Chron. Misn. frequenter a mulierculis Misniae solere exclamari; *Jedaute, Zedaute* notat. Ita lego in Hermanni de Lerbeke Chron. Episc. Mindensium, a Leibnitio T. II. script. Brunsvic. inserto p. 204. *Tum illi tres honestas dominas miserabiliter clamantes vulgariter TO JODUTE manibus violenter injectis ex urbe ejicientes &c.* Joh. Buschius in libro de reform. Monast. apud eundem Leibnitium p. 498. haec habet. *Unus fratrum cultellum suum apprehendens comminatus est mihi id in corpus meum intrudere; & adstitit alter*

frater Johannes Engelken, qui post voce magna exclamat. JODUTH, JODUTH, & omnes fratres in ambitum, ubi stabamus, convenerunt. - - Tunc unus seniorum foras cellam clamat Wilhelme, INDIGETIS ADJUTORIO? bene vocabimus trecentos viros de civitate. &c. Idem Busechius apud eundem pag. 896. Una ibi fuit monialis, dicens, cum Prior de Hamersleve ad nos venerit, tunc in fenestra solarii stabo & cum ego eum in Monasterium nostrum ingredi adspexero, altissima voce tunc exclamabo; JODUTT, JODUTT, id est, wopen, quod verbum est diffidationis; ut SIC TOTA FAMILIA MONASTERII PRO EARUM DEFENSIONE CONCURRERET. Ex quibus omnibus patet illa voce aliorum imploratum esse auxilium.

§. 11. Liquidius id elucescit ex statutorum patriae meae, quae ante annos circiter CCC. fixa sunt, lege CV. quæ talis est. *Wurde een minsche slagen binnen eenes mannes were, idt were man ofte wyf. dat scholden tho hand kundigen, de in den were is, mit eenem JODUTE (vel, ut in præstantissimis exemplis legitur, TIODUTE) syner negeften nabuuren, dede be des nig, be scholde idt der stadt beteren met tien marck.* Sensus legis hic est. Si quis vapulet, sive mas, sive femina intra alicujus domum, sive septum id ab illo, qui in eadem domo est, confestim promulgandum esse JODUTA vicinorum proximorum; Id si neglexerit, mul-

multam ei in urbis usum solvendam decem
 marcarum. Quid hic, sodes, significat vim
 hospiti illatam *promulgare* JODUTHA *vicino-*
rum, quid, inquam, aliud, quam vicinos ad auxi-
 lium ferendum conclamare? Vides itaque
 Jodutham notare (c) clamorem, quo alio-
 rum suppetiae invocabantur, uti Galli ex-
 clamant *A l'aide*, quae illorum vox, uti &
 Anglorum *aid* ejusdem est originis & signi-
 ficationis, cujus Italorum *ajuti*, cui *Joduthe*
 natales suos debet.

§. 12. Neque aliter vox illa sumenda est
 in ipsa illa exclamationis formula, quam olim
 in (d) patriae meae foro, ubi publicum judicium,
 quod bannitorium vocant, solemnicaerimonia
 instituebatur, adhibuere, quaeque pag. hu-
 jus tomi 543. seq. integra exhibita fuit.
 Quando enim ibi ter acri, terroremque in-
 cutiente voce inclamatum fuit TO JODU-

N n n 2

THE

(c) Gaudeo hanc sententiam jam placuisse Ill. Leibni-
 tio. In notis enim ad Glossarium Caucicum, quae
 in ejus collectaneis Etymologicis a dignissimo ejus
 successore J. G. Eccardo editis leguntur, haec habet
 p. 44. JODUTE est ad opem & auxilium proclama-
 re; *ajuta*, *aita*, à *L' aide*.

(d) In ducatu Verdensi similem in modum illam ad-
 hiberi testatur idem Leibnitius, cum in cit. collect.
 tum in Monum. ineditis à Joach. Fellerò vulgatis
 p. 601. JODUTE. *Sprichvvort im Bremischen. He*
schreyet Jodute. Das Wort vvird bey Beschreyung
der gewaltsamer und morderischer Weise entleibten
totten Körper im Hertzogthum Bremen und Verden
gebrant.

THE id, quod probe notari velim, illud non factum est, à iudice vel ab advocato sed sicut pag. 544. videri potest, ab illo, qui proxima cognatione attingebat occisum, a vindice sanguinis, quem Judaeorum Goelem dixisses, qui iudicium illud haberi expectaverat, eoque absente ejus nomine a Senatus ministro ter gladio cistam sepulchralem concutiente, & alta voce vindictam de obruncato agnato deposcente; *THO JODUTHE aver den, welcken myn flesch un bloodt van levende tho tode gebracht heeft* i. e. ad literam; *AD AUXILIUM! AD AUXILIUM!* (tho hulpe, tho hulpe) contra illum, qui carnem meam & Sanguinem (notemus hanc phrasin, quam Cauci mei cum Ebraeis communem habent, qui hominem dicturi vocant *בשר ודם*, carnem & sanguinem. Quae phrasin passim in sacris occurrit. Confer. Matth XVI: 17. coll. Eph. VI: 12. Gal. I: 16. & Ebr. II: 14.) interfecit. Ex quibus quam clarissime constat nihil aliud ea formula fuisse indicatum, quam implorationem auxilii a iudice ut vindictam de occisore sumeret. Atque ita nunc in propatulo est, qua ratione illud symbolum, *DIO AJUTE*, quod in praelio Henriciano, a Saxonibus exclamatum fuit, ut *Dei* sibi impetrarent auxilium, deinde paulatim translatum fuit ad alias occasiones, passimque in magno constituti periculo, aliorumque egentes auxiliis, ea hac exclamatione sibi

sibi poposcerint. Huic itaque voci accidit, quod tot aliis vocibus loquendique formulis, quæ ab Italis Gallisque mutuatae miris doctorum virorum ariolationibus, miris interpretamentis occasionem præbuerunt, quod peregrini illorum natales nostris hominibus minus essent perspecti.

§. 13. Ne autem aliquid nunc restet salebrarum, id pariter dispiciendum est, quomodo illa vox mutari potuerit in nomen alicujus idoli, credique Jodutham fuisse Deastrum, quem summis honoribus venerati fuerint majores nostri. Ejus sententiae saltem fuit Klocknerus sive Albertus Thonerius. Obscuriora enim paulo sunt verba Illustrissimi Monumentorum Paderbornensium Auctoris, quando in iisp. 130 ita scribit; *Klocknerus citat Albertum Thonerium, vicarium Paderbornensem anno 1190. asserentem eo in loco, quem modo Paderborna occupat, situm fuisse quondam pagum Tutorium sive Dutorium, ita nuncupatum à Dute, quod veteri Saxonum lingua DEUM significat, & est, ut ait (quis Klocknerus an Thonerius?) hic frequens in ore hominum JODVTHE idolum à majoribus nostris, ut fertur, divinis honoribus cultum.* Recte additur, ut fertur, nam olim non fuisse tale idolum, jam ostensum est antea, & mox ostendetur pluribus. Reinerus Reineccius de *Mysorum* Origg. fol. 51. putat ZEDUTTE eundem esse cum idolo S. JO-

N n n 3

DÜT-

(f) Ex Jodutte vel Tjodute hac fortassis ratione fieri po-

DUTTE, additque alium Deastrum ejusdem nominis, quem coluerint in regiuncula Dellbrucke, inibi in ejus honorem carmen esse factum, cujus principium tale erat;

*S. Jodutte war ein hilliger mann,
Wie der Feind kam, ging er vorn an, cetera,*

unde putat hoc fuisse idoli nomen vocemque DUTT i. e. Deus, voci JO fuisse additum. Valde vellem, ut illum hymnum exhibuisset integrum, ex quo haud dubie plura ad rem facientia potuissemus colligere. Confer etiam P. Albinum in Chronico Misniae c. XI. p. 152. & Schedium de DIS Germ. p. 485. Nunc hoc unum addo, me à testibus fide non indignis accepisse propter vicū Leae, qui situs est ad ripam Visurgis, qua ille mari committitur, fuisse olim colliculum cui statua idoli cujusdam imposita fuerit, qui dictus fuerit Mons Jodutae; Joduten; Berg.

§. 14. Sed ad originem hujus fabulae aperiendam nos accingamus. Nimirum, cum Saxones in illo toties memorato conflictu contra Caesaris exercitum potiti essent victoria, atque hunc ingenti clade debilitassent, ejus rei

potuit Zedutte; quia Di aliquando mutatur in Z. Uti pro Diaeta scribitur Zaeta, ut Zabulus pro Diabolus, ΖαχορⓄ pro ΑζαχορⓄ. Apud Ammianum Diavas pro Zabas. Vide Velferi epistolam de zeta & zetariis ad calcem Pignorii de servis, & J. A. Fabricii Cod. pseud. N. T. T. I. p. 570.

rei monumentum publicum in loco praelii statuerunt, videlicet, armati Viri statuam, id quod in dissertatione priori §. 10. sqq. visum est luculenter. Cumque AUXILIO DEI, cujus causam se agere putabant, quodque cum ante praelium, tum in ipso certamine ingenti clamore sibi flagitaverant, se victoriam nactos esse judicarent, (quo alludit Engelhusius in Chronico, qui scribit *Saxones ADJUTORIO DEI se defendentes terram suam defensasse*) columnam erexere perpetuae rei memoriae dicatam, instar tropaei, eamque nuncuparunt vel *signum adjutorii*, secundum Georgium Fabricium, vel *signum adjutoris*, ut habet Heineccius, vel *sanctum adjutorium* ex sententia Vagedesii, vel *sanctam adjutricem*, quod mavult Brotuffus.

§. 15. In eo autem & laude dignum, & diu inveteratum morem secuti sunt, cujus in ipsis S. literis fit mentio. Legimus enim 1. Sam. VII: 12. cum Israelitae victores decessissent Philistaeorum, eosque clade insigni affecissent, erectum fuisse a Samuele Lapidem, eique nomen impositum אבן העזר, *Eben ha-ezer*, dixisse autem illum, *hucusque Dominus nobis fuit ADJUTOR*. Vulgatus vertit vocem, *Lapis ADJUTORII*. Illa autem versio, cum in usu tum esset vulgari, fieri potuit, ut huc intenderent oculos, qui lapideae illi statuae ab ADJUTORIO inderent nomen, praecipue illi ex ordine Clericorum, qui ex Italia

accerfuiti magno numero in illo exercitu verfabantur.

§. 16. Simile itaque hoc factum est illius, quod annis circiter CCCXXXII. antea perpetratum esse à Carolo M. cum a. 783. Saxones prope Dietmoldiam in agro Lippiaco fudisset, fugassetque, narratur in Chronico Tremonienfi, cujus verba adducit *Stangefolius* in ann. circ. Westphali. L. II. p. 84. Adscribam illa, quod liber ille sit rarior. *Carolus Rex in monte ab antiquo Asneggi dicto, miliari a Lemgan civitate distante, Saxones usque quo rebelles iterato aggressus illos ad internecionem occidit, qua in pugna manifestum adsuit divinum AUXILIUM, eapropter religione tactus montem hunc divino cultui consecravit, MONTEM S. ADJUTORII eum baptizando, atque ecclesiam ibi fundando, ubi postea multis saeculis peregrinantes DIVINUM AUXILIUM non raro senserunt.* Hinc sua fortassis hausit *Crantzius* in Sax. L. II. c. 4. Rex (Carolus M.) confluit cum hoste juxta montem, qui *Asneggi* (i. e. *Offenegg*. s. boum locus) dicitur in loco *Thietmelle* nominato. In illo a memoria *Karoli* erecta est capella *DIVINI AUXILII* nominata, hoc referens posteris, quod propter coeleste praesidium in eo loco missum, memoria ibi magni miraculi consecrata est, laici vocant montem *S. ADJUTORII*. Sunt, qui hunc locum *Dietmelle* qui non alius est a *Detmoldia*, hodierna illustrissimorum Comitum *Lippiensium* sede, putant situm in comitatu vicino *Diepholtano*, in quo pariter locus, uno ab urbe *Diepholdia* lapide distans

nomen *Zunthulpe*, i. e. *S. Adjutorii* in hodiernum usque diem retinuit. Illum tamen ab hoc distinguendum esse jam observarunt perillustri Monum. Paderbornensium Auctor p. 40, 41. & Cl. Schminckius ad Eginh. p. 49. Quidquid tamen illius est, ex parili occasione, duplici praelio nempe, quod eodem anno ac mense paucis interjectis diebus a. 783. auspiciis Caroli M. commissum est, uterque locus nomina sua a *divino AUXILIO* adeptus est. Audiamus de posteriori Hamelmannum in Opp. p. 80. *Comitatus Diepholtanus habet municipium Zunthülpe/ ubi vicit Carolus postremo Saxones, & ideo erecto sacello indidit nomen loco Zunthulpe (i. e.) sanctum adjutorium) ab Auxilio divino.*

§. 17. Jam faciamus subductis rationibus dictorum summam. Saxones cum Caesareanis decreturi praelium adoriuntur ingenti clamore sublato; *DIO ADJVTE* vel *AJVTI*. Quam vocem Italicam cum non intelligeret vulgus, putavit hoc nomen esse sancti alicujus vel herois, cujus suppetiae sollicitarentur, & ex illa formavit *Tiodute, Tjodute, Joduthe, tho Joduthe*; Cumque eâ audirent *Auxilium* implorari, passim homines in angustiis positi, aliorumque opis egentes, illa uti occoeperunt. Interea monimenrum erigitur *auxilii* à Deo in illa pugna praestiti; Statua viri armati. Saxones, ut in aetatis valde erant rudes, sensim in eam ingrediuntur opinionem, illam esse effigiem

giem alicujus Divi aut sancti, cujus opera elata voce in praelio poposcerant, cujusque auxilio victoriam reportaverant; Id diserte innuit initium illius hymni, quod supra §. 13. allegavimus, cujus sensus est; *Sanctus Joduthus Vir erat sanctus, appropinquante hoste ducebat ille ordines; & quae sequuntur.* Porro, cum illi populi vix derelicto paganismo modo accesserant Christianorum sacris, multis, quae illa erat infelicitas temporum, superstitionibus tum infectis, atque iccirco Idolorum, statuarumque cultui etiam tum assuesacti essent, factum paulatim est, ut hoc quoque monumentum; divinis afficerent honoribus; & cum illud signum dici *adjutoris*, vel *adjutorii* audirent, hinc sint vel sunt (ita enim vocem latinam *sanctus* Saxones nostri efferunt) *Jodute* vel *Tjodute* effinxerunt. Ita latina mater (verba sunt viri Docti) Germanicam prolem sunt *Jodut* *monstroso partu effudit obstetricante ignorantia, dum plebs lubrica* & in superstitionem proclivis verso rerum ordine nonnunquam Deos sibi fingit, non alibi, nisi in lingua voceque duraturos. Fortassis S. Jodutae cultus non parum cepit incrementi, quod illa tempestate increbesceret nomen *Sancti Adjutoris*, Monachi Turonensis, cujus vitam ab Hugone, Archiepiscopo Rotomagensi descriptam in *collectione nova monumentorum veterum* edita Rhotomagi a. 1700. exhibet Edmundus MARTENE, doctus familiae Benedictinae sodalis. Si liquido ostendi posset usurpatam fuisse tum formulam, DEUS

AD-

ADJUTA, de qua dictum est §. 5. jam propius haberemus *Dei* vel *Deae Joduthae* ἰουδουθαι. Quoquo modo se res habet, spero nunc non solum terribili illi voci, quae vel ipso sono audientibus terrorem incutiebat, larvam detractam, sed & in posterum SUNT JODUTE in concilio Divorum, sanctorumve eundem locum occupaturum, qualem S. Veronica, S. Ursula cum XI. mille virginibus, S. Viarus, S. Synoris, S. Amphibalus, nomina, quae vocum non intellectarum corruptio, rudisque popelli ignorantia Deos fecerat, coeloque locarat, nunc apud homines cordatos occupant.

§. 18. Interea loci, dum in illa a gentilibus meis valde usitata, at paucissimis intellecta voce, quae Italiae origines suas debet, enucleanda versor, liceat coronidis loco ex milenis, quae ad manus sunt, binorum tantum vocabulorum, quorum usus apud nos increbuit, natales paene ignoratos Galliae vindicare. In aedificio urbis patriae, quod ex monasterio D. Joannis dicto, olim a sodalibus S. Francisci inculto in Gyrgathon & miserorum κοιτωνισθιον transmutatum est, locus est subterraneus, & tenebricosus; cui ferociores & immorigeri includi solent. Vulgo ille vocatur *de Posune*, sive *Posaune*, quae vox Germanica alias *tubam* denotat. Saepe mecum cogitavi, quid id sibi nominis vellet, & qua ratione obscurae illi camerae tubae nomen impositum fuerit. Sed cum

eum deinde incideret, Gallis carcerem dici *Prison*, non amplius dubitavi, quin haec vox à priori non differat. Praecipue cum medio aevo illa vox latina donata fuit civitate. Ita in Glossario Du Cangii non solum *priso* & *Priso* pro carcere sumi docetur, sed et *Prisona*. Sic apud Matthaeum Parisiensem legitur, *Jacent in PRISONA nostra*, & apud Bromtonum; *Ibi se reddidit prisonae in misericordia Regis*. Immo hinc Germani nostri mutuati sunt vocem *prisauna*; Ita aperte occurrit in vetusto poemate Germanico quod nuper ill. *Eccardus* edidit, Tomoque secundo corporis *Historic.* inseruit. p. 1455. *Oder habt ihr jemand vergessen in euer PRISAUN oder nemt GARTZAUN*. Uti haec postrema vox est Gallorum *Garnison*, ita altera est *Prison*, quod extulere *Prisaun*, unde carcerem illum coenobii nostri dictum *Posaun* nemo facile dubitaverit.

§. 19. Porro locus publicus, in quo chartae veteres, ac instrumenta publica, quibus pacis cum finitimis potentatibus sancitae conditiones continentur, magna cum solertia custodiuntur vulgo appellatur de *Treze*. Vix ambigo, quin haec vox derivanda sit à Gallorum *Trefves* vel *Trieves*, vel *Trèves*, qua induciarum ac pacis conditiones insigniunt, & cui bene convenit cum voce *TREUGA*. Non tamen haec tam ab Anglo Saxonum *Treow* & Germanorum *Treue* i. e. fides arcessenda videtur, ut vulgo fieri solet, sed potius contra-

cta

ita esse ex voce *Traités*, à *tractatibus* Latino-
rum, cum quibus convenit Itatorum *Triegua*
& Hispanorum *Tregua*. Porro ab aetatis me-
diae scriptoribus ad Latinorum morem flexa
fecerunt vocabula *Treva*, *Triuva*, *Treuvia*, *Tre-
via*, *Τρευα* & *Τριβα*; de quibus Martinius noster
& Du Cangius in Lexicis suis videri possunt.
Hinc Hagae Comitum, locus, in quo negotia
pacis tractantur, dicitur *de Tréveskamer*. Hoc
nominis quoque datum puto tabulario nostro
publico. Quod autem in millenis fit vocibus
aliis, absorpta est paulatim vox altera, & re-
tenta solum prior *du Treves* vel contracta *Tre-
ze*, i. e. locus publicis pacis tractatibus as-
servandis destinatus. Sed
haec haec tenus.



VIII.

Irenaei BIBLIOPHILI,
Observatiuncularum Triga.

A.

JAm scripta erant haec omnia (a) cum
forte in Cl. Krausii editione Epistolarum
Pauli Manutii, p. 1012. legerem, Fla-
minium A. 1550. ex hac vita migrasse.
Sed non fraudi id est iis, quae paulo an-
te

(a) Hæc erant appendicis loco adjuncta Epistolæ illi,
quæ

te scripsi. Certe Gyraldum aliquot annis ante mortem Flamini, istos dialogos consignasse, præter pag. 380. p. 420. (Edit. 1580. fol. T. II.) conjicio, ubi *Olympia*, inquit, *Morata puella supra sexum ingeniosa, non contenta vernaculo sermone, latinas & græcas literas apprime erudita, miraculum fere omnibus, qui eam audiunt, esse videtur: hæc bis diebus nupsit Grunthero (b) huic nostro qui & eam in Germaniam ad urbem patriam Herbiolin transferre meditatur.* Hæc ille. Grundlerum vero cum *Olympia*, jam ante mortem Flamini in Germania fuisse, ex Epistolis *Moratae* patet. Idem Gyraldus p. 396. de *Flamino*, ut vivo, disserit, eumque laudibus ornat, sine dubio aliquid de morte ejus dicturus, quemadmodum paulo post *Longolii* obitus mentionem iniecit, nisi *Flaminius* tum adhuc vixisset. Non possum quin locum, in quo de *Palingenio* sermo est, integrum transcribam p. 415. ait: *Legitur quoque Marcelli Palingenii Stellati liber hexametro versu conscriptus, cui titulus est Zodiacus vitæ, duodecim voluminibus digestus, quorum singulis titulus est a nomine cælestis signi, ita, ut aries primo præponatur, opus varium multisque rebus ad constituendam*
vi-

quæ in hujus Classis fasc. III. p. 555. sqq. legitur, cum autem tunc hæc addi spatium prohiberet chartæ, in hunc locum rejicienda fuerunt.

(b) *Grundlerus* alias dictus, hujus dialogi inter alios interlocutor, de eo vide *Melch. Adami vitam Moratae*.

vitam mirifice idoneum, quod nisi Principi nostro Herculi Estensi (si minus vobis placet Atestio) nuncupatum foret, ejus minime meminissem, nam & post ejus mortem in ejus cineres saevitum est, ob impietatis crimen.

Hæc quomodo constare possint, cum superioribus, nondum video, tamen, quod suspicari licet, illi dialogi jam ante Flamini obitum lucem viderunt, eandemque de Palingenio narrationem referunt, hoc quidem argumentum conjecturæ, (c) HEVMANNI celeberrimi, minus patrocinari potest, quod tamen nec ille ipse valde urget.

B.

IN eodem Cl. Krausii loco hæc ejus verba lego: *Allegari, inquit, video Joach. Camerarii de Flaminio narrationes, quas additas esse conjicio* (d) *Flamini Epistolæ aliquot de veritate doctrine* &

(c) Vide supra p. 573.

(d) At vero hanc conjecturam ipsa veritate niti hic docebit integer libri titulus, quem ex GEORGII SUMMERI catalogo librorum tam editorum, quam edendorum Joachimi CAMERARII, qui impressus est Dantisci, 1646. in forma 8. exscripsi. *Aliquot epistolæ M. Antonii FLAMINII de veritate & sanctitate religionis ex Italico in sermonem latinum conversæ, nec non narrationes de Flaminio & aliis quibusdam cognitione optimarum disciplinarum ac artium & pietatis studiosorum non indignæ.* Norimbergæ in off. Diet. Gerlaci, 1571. 8. Spes facta est, mihi illius libri factum

Sanctitate religionis, ex Italico in latin. con-
 versis ab eodem Camerario Norimb. 1571.
 Non possum, quin Cel. Krausio conjecturam
 hic proponam: annon hæ Epistolæ, de qui-
 bus & supra ipse egi, illæ sint, quæ in Pauli
 Manutii collectione Epistolarum Hetruscarum
 T. II. (Edit. 1545. Venet. 8. ejus in Synopsi
 Chronologica vitæ P. Manutii a Viro Clar.
 Epistolis Manutii præmissa nulla fit mentio ad
 dictum annum) leguntur? Variæ nimirum
 plenæ pietatis, prolixæ item, M, Ant. *Flami-
 nii*, ibi reperiuntur Epistolæ, quibus uti &
 aliorum nonnullis aliis, miror Manutium in
 ista collectione locum dedisse? Speciminis lo-
 co liceat locum quendam excerpere, cum
 raræ illæ sint Epistolæ hetruscæ. (e) T. II.
 fol. 63. sqq. legitur Epistola quædam ad Ca-
 rolum Gualteruzzium, d. XXVIII. Febr.
 1542. scripta, nomen auctoris, consulto for-
 te omissum est; sed cum ea proxime insequa-
 tur Flaminii Epistolas, non dubito, quin &
 huic adscribenda sit. Agitur in hac de (f) li-
 bel-

tum iri copiam; Quod si fiet, & quæ de Flaminii
 morte disceptata sunt, in uberiori luce collocare, &
 alia non pauca, quæ mihi de illo observata sunt, iis
 adjungere licebit. T. d. H.

(e) vide præter notam Cl. Krausii, in qua de Rham-
 berto agitur, in Edit. Epp. Manut. Morhof. polyh.
 lit. p. Editio hæc 1545. in titulo dicitur denuo
 recusa at in multis locis correctæ.

(f) At hic non totius libri titulus est, sed tantum capi-
 tis primi libri primi, cui cum ille adscriptus esset, à

bello de imitatione Christi (g) cujus auctor ibi non memoratur, quemque Thomæ Kempensi tribui, constat. Verba autem hæc sunt:

„Quanto al consiglio, che mi dimandate
 „de genere librorum io dirò una cosa, che
 „forse vi parerà strana & sciocca: ma volen-
 „do dire il vero secondo la mia conscientia, è
 „forza ch'io la dica: io non saprei proporvi li-
 „bro alcuno (non paulo della frittura santa)
 „che fusse piu utile di quel libretto *de imitatio-
 ne Christi*, volendo voi leggere non per curiosi-
 „tà, ne per saper ragionare, & disputare del-
 „le cose Christiane, ma per edificare l'anima
 „vostra, & attendere alla pratica del viver
 „Christiano, nella quale consiste tutta la som-
 „ma, come l'huomo ha accettato la gratia
 „dell'Evangelio, civè la giustificatione per la
 „fede &c. Et post pauca intricata: Se voi
 „leggerete il prefato libretto assiduamente &
 „con attentione, & con desiderio di mettere
 „in pratica cio, che egli insegna: io tengo
 „per fermo, che vel troverete utilissimo, co-
 „me il trovano tutti coloro, che il leggono
 „con queste circostantie, massimamente es-
 „sendo voi avertito del nevo, che io vi ho
 Class. VII. Fasc. V. O o o „det-

librariis imperitis toti libro deinceps impertitus est,
 T. d. H.

(g) Hujus libelli loca aliquot critica medela sanavit
 nuper Cel. HEUMANNUS in *Pœcile Lib. I. in Epist.
 Cel. Hasæo inscripta.*

„détto: & quanto il libro è piu lontano dalla
 „pompa della eloquentia, & dottrina secula-
 „re, tanto è piu degno di esser letto, come
 „quello che ha piu del Christiano, & dello
 „spirituale & è piu similé alla scrittura santa, &
 „per consequente piu perfetto.

C.

IN hac ipsa Bibliotheca Cl. VI. p. 371. (ff)
 libellus producitur nuper cum erudita præ-
 fat: Cel. Jo. Christ. Olearii, recusatus a Gottfri-
 do Tenzelio, Ecclesiaste Arnstadiensi, in quo
 de *Johanna Papissa* testimonium extat. (gg)
 Publice & hos duum viros doctissimos excito
 ad expendendam levem conjecturam, in quam
 haud ita pridem incidi. Scilicet pervenit
 nuper in manus meas libellus brevis, paginis
 admodum 49. constans, cujus titulus cum
 primo folio periit, sed ex inscriptione tamen
 columnis paginarum imposita disco, titulum
 forte esse, (h) *Papam Johannem VIII. fuisse mu-*
 lie-

(ff) Conf. Cl. V. p. 1122. hujus Bibliothecæ & Ju-
 rici Historiam Calvinismi & Papismi T. II. Lib. I.

(gg) Vid. quæ in Novis liter. lingua Germanica Lipsiæ
 editis. A. 1722. n. XXIV. p. 247. sqq. leguntur de
 fato hujus libelli.

(h) Integer titulus hic est; *Jesuitas singulares SS. Pon-*
tificiæ majestatis hoc tempore vindices, falso & fru-
stra negare, Papam Joannem VIII. fuisse mulierem.
 Licet autem mihi præstantissimo Bibliophilo & no-
 men auctoris & locum impressionis nunc indicare.

Pos-

lierem. Equidem in Cl. *Heumanni Sched. de Anon. & Pseud.* p. 142. *Schmidii* cujusdam libellus, *Witebergæ* 1609. 8. editus de *Papa Joh. VIII. femina*, allegatur; sed cum locus exinde citatus meæ editionis paginis non respondeat, credere interim malim, hunc libellum eundem (i) esse cum illo, quem *Dra-*

O o o 2

dus

Possideo enim bina libelli exempla, quorum unum illius usibus, ubi suum indicarit nomen, praesto erit. In utroque vetusta manus adscripsit, *Auctore HermannolWITEKINDO, Westphalo, Mathematicæ Professore in Academia Heidelbergensî Ord.* In uno illorum quoque additur *Neostadii*; intellige *Nemetum*; (ad *Hardtam* fluvium.) Tale scriptum inter ejus scripta quoque recenset *Wittenius* in diario. Obiit ille a. 1603. senex annorum 81. T. d. H.

(i) Et sane idem est. Noto nunc tantam editionem, quam possideo vocari alteram non sine auctario & prodiisse M. D. XCVII. in 4. Prodiit etiam hic liber *Ambergæ*, 1609. in 8. Est enim ille, qui tanquam anonymus producit in supplemento *Schmidiano* ad *Sagitt. Introd. ad hist. Eccl. T. II. p. 627.* Num autem ille non alius sit à libro, qui *Oppenheimii* a. 1619. in 8. hoc titulo foras exiit, *Johanna Papissatoti orbi manifestata*, aut illo, qui excusus est *Helmestadii*; 1662. in 4. non habeo dicere. Forte ille auctorem habuit *Levinum Hulsium*, cujus *Oppenheimii* in 8. de *Johanna Papissa* impressus tract. in *Facet. faest.* p. 162. ed. 1657. laudatur. Nunc solum id addere liceat, primo, in codice pervetusto *Ottonis Frisingensis*, qui ante a. 1280. exaratus videtur & in *Bibliotheca publica Tigurina* asservatur; hujus *Papissae* nullam fieri mentionem. Deinde non *Blondellum*, ut vulgo putatur ex iis, qui extra communionem ecclesiae Romanae vixerunt, pri-

mum

dius in Bibl. Class. sub tit. *Papa femina*, p. 872. edit. 1611. adducit, cui tit. *Jesuitas singulares Pontificia Majestatis vindices falso & frustra negare, P. pam Joannem VIII. fuisse feminam*. Neostadii 1598. 8. Confirmor in hac conjectura, quia libellus ille meus totus contra Jesuitas est conscriptus. Complurium Scriptorum, inde a Sæculo X. fere ad auctoris usque tempora, testimonia de illa Papissa hic excerpta sistuntur. Inter alia pag. 13. & 14. hæc habentur, quæ integra juvat transcribere :

Sigeberto proximum inveni MARTINUM, (k)

60-
mum esse, qui illam de Papissa narrationem profligare scripto annisus est. Possideo enim libellum hujus inscriptionis. *Simplex narratio indicans & exponens, meretriculam quandam Anglam nunquam Papam fuisse, neque unquam in rerum natura extitisse, & unde figmentum illud originem duxisse creditur*. 1588. 4. 2. plag. in 4. Locus impressionis non additur. Neque auctoris nomen. Non tamen membrum fuisse coetus Latini, inde colligo, quod & maximam libelli partem impendat descriptioni vitiorum Pontificum quorundam Romanorum, & quod scribere non dubitet; *Etiamsi illa meretrix (Johanna) nunquam fuerit Papa, tamen non eximitur, quin sit ipsissima illa purpurata meretrix Babylonica*. Hunc scriptorem, quem unum ex Calvini aut Lutheri lustris appellat, allegat, argumentaque, quibus utitur, adducit Gretserus, tantæ maledicentiæ, quantæ erat eruditionis Jesuita, in *Examine Myste-
vii Plessæani c. XXXVIII. p. 301. T. d. H.*

(k) De illo Martini loco, ejusque valore, cum in nonnullis exemplaribus desit, inter eruditos disceptatur. Vide Jo. DIECMANNI de primis Johannaepap-
pis-

cognomento Polonum, Monachum ordinis Predicatorum (l) Pœnitentiarium Papæ Nicolai III. postea Archi-Episcopum Consentinum, ad Annum Domini (m) 1226. Cujus narratio de Joanne Papa hæc est: „Joannes Anglicus,

O o o 3 na-

pissæ præconibus *σχεδιον* p. 20, 21. *Allatum* in cf. fab. de J. Papissa §. 6. sqq. *Spanbem.* in diss. de J. P. c. 3. opp. T. II. p. 594. sq. *Maresium* de Jo. Pap. p. 20, 21, 22. *Cavium* de script. Eccl. T. I. p. m. 212. *Lambecium* Com. de Bibl. Vind. T. II. c. 8. p. 868. qui liber cum nunc omnium rarissimus sit, si tibi non ad manus est, verba ejus descripta lege in *Oudini* Comm. de script. eccl. T. III. p. 534-546. Præcipue autem *Baelium* in Lex. edit. postremae in *Polonus* T. III. p. 2345. sqq. qui & de tota hac fabula prolixè admodum agit ibidem in *Papesse* p. 2162--2174. Ill. Uffenbachius possidet Codicem MSS. hujus Martini optimæ notæ, in quo suo loco integra legitur illa historia. Vide ejus Bibl. Msscr. p. 134. Ex quo saltem discas, quid fidei tribuendum sit Florimondo Racimondo, qui hanc narrationem ab Heroldo insertam Martino non erubuit scribere dans *l'Antipapesse* p. 367. aut Casimiro *Oudino*, quando ante suum ad nostram ecclesiam accessum in suppl. de Scr. eccl. p. 550. ausus est asserere *Chronicon illud scaterè communiter fabulis, quas constat esse immixtas AB HÆRETICIS nefario atque ordinario ausu.* Auctor ille anonymus, quem sub Lit. i. indicavi hunc Martinum primum hujus rei inventorem judicat. T. d. H.

(l) Alii autem eum Cisterciensium Ordini adscribunt, ut Possévinus, Jongelinus, Visschius. T. d. H.

(m) At vero constat Martinum hunc jam a. 1278. (non a. 1270. ut Blondellus habet) quo a Nicolao Archi-episcopus creatus est Gnesnensis, non Consentinus, ut scribit Carolus Visschius, diem suum quoque Bononiae obiisse. T. d. H.

natione Moguntinus, sed et annis duobus,
 ,,mensibus quinque. Mortuus est Romæ, &
 ,,cessavit Pontificatus mense uno. Hic, ut as-
 ,,seritur, femina fuit. Et cum puellari æta-
 ,,te, è quodam amasio suo, in habitu virili
 ,,Athenas ducta fuisset: in diversis scientiis
 ,,ita profecit, ut nullus ei par inveniretur:
 ,,adeo, ut post, Romæ *trivium* (o) legens,
 ,,magnos magistros discipulos haberet. Et
 cum in urbe vita & scientia magræ opinionis
 ,,esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in
 ,,Papatu per familiarem suum imprægnatur.
 ,,Verum tempus partus ignorans, cum de S.
 ,,Petro in Lateranum tenderet, angustiata in-
 ,,ter Colosseum, & S. Clementis Ecclesiam,
 ,,peperit, & postea mortua ibidem, ut dicitur,
 ,,sepulta fuit. Et propterea, quod Dominus
 ,,Papa semper eandem viam obliquet, credi-
 ,,tur omnino a quibusdam, quod ob detestatio-
 ,,nem facti hoc faciat. Nec ideo in Catalogo
 ,,sanctorum pontificum ponitur: tam propter
 ,,muliebrem sexum, quam propter deformita-
 ,,tem facti. (p)

Huic

(o) ita legitur in hoc meo libello, quod mihi *triennium*
 legendum videtur.

(p) Hunc Martini locum eum MSC. quod in coenobii
 Heilbronnensis Bibliotheca asservatur, diligenter
 collatum, variis lectionibus studiose simul exhibitis,
 adducit J. C. WAGENSELIUS in Diss. de *Romanis*
Pontificibus ex Germanorum gente creatis. Alium codi-
 cem Martini Pol. MSC. in Bibliotheca Acad. Jenens.
 fuisse, testatur Sagittarius in *Programmate*, quo
 præ-

Huic loco auctor libelli continuo hæc verba subjicit:

Eadem TOTIDEM FERME VERBIS leguntur in *Richardi* (q) monachi Cluniacensis libro, cui titulus est: Romanorum Pontificum series, qui in vaticana Bibliotheca servatur. Quæ verba vir quidam honestus a se ante annos jam sedecim ibi descripta, nobis ostendit. Antecessit autem Richardus iste Martinum centum quinquaginta annis, si Trithemio creditur., Hæc ille.

Jam perpendite quæso, Duumviri Clarissimi

Ooo 4

mi

praecipuos Scriptores Hist. Germ. recenset. conf. & Chiffletii scriptum Fasc. IV. collect. rariorum librorum recusum, vid. & Centuriatores Magd. Cent. IX. & contra illos *Bellarminus* de Scriptor. Eccles. p. m. 249.

(q) Prolixe de hoc Richardo, patria Pictaviensi, qui inclinante ad finem saeculo duodecimo vixit, adeoque Martinum nostrum non 150. annis, sed ne seculo quidem, (vixit enim adhuc a. 1190.) antevertit, agit *Gaf. Oudinus* in Comm. de script. eccl. T. II. p. 1597. sqq. Ibi quoque discimus illud ejus Opusculum de *Romanis Pontificibus* suo ejusdem argumenti Chronico inseruisse *Gulielmum Rede*, qui a. 1368. vixit & Chronicon *Richardi* continuavit ad a. 1367. Illud autem *Redii* opus cum in Bibliotheca Cottoniana asservetur, (vide ejus Catal. in INDICE MSS. Angliae T. I. p. 3.) facile ibi, quid de hoc argumento habeat, videri posset. Si autem locus *Martini* genuinus est, potuit illam narrationem ex hoc *Richardo* hausisse, ex quo suam congesisse historiam ipse in praefatione Chronici sui fatetur. T. d. H.

mi, annon auctor vestri libelli illum suum locum ex isto Codice Vaticanæ Bibl. desumserit?



IX.

Petri von SARN,

Ecclesiastæ Meursensis

de

Nomine novo

ad

Jes. LXII. 2. LXV. 15. & Apoc. II. 17.

Cogitationes.

Differētia inter *Prænomen*, *Cognomen* & *Agnomen* in præsentiarum non curanda, **NOMEN NOVUM** fidelibus inditum variis explicari & applicari poterit modis.

I. *Heroibus* illustribus, ut & augustioris notæ *Feminis*, in **DEORUM**, apud Ethnicos, relatis numerum **NOVA** dabantur **NOMINA**, *Romulus* namque post *αἰνοθεωρεῖν* dictus **QUIRINUS**; *Herfilia*, **DEA ORA**: unde **OVIDIUS** Mel. Lib. XIV. Fab. 19.

Hanc

Hanc manibus notis Romanae conditor urbis
 Excipit & priscum pariter cum corpore NO-
 MEN

MUTAT, ORAMQUE vocat, quæ nunc
 Dea juncta QUIRINO est.

Conf. DEMSTERI Paralip. ad ROSINI Lib.
 III. Cap. 18. Et LACT. Instit. Div. Lib. I. de
 Falsa Religione Cap. XXI. Quomodo & MO-
 SES juxta illust. HUETIUM Demonst. Evang.
 Prop. IV. Cap. III. §. 5. vel, ut Cl. HULSIO,
 Melchisedeci p. 9. placuit, HENOCHUS, in
 cœlum sublatus, NOVO NOMINE dictus
 est MELCHI.

Fideles, utpote membra Ecclesie, quæ Re-
 gnum COELORUM & COELESTIS audit
 Hierosolyma, cum CHRISTO in COELE-
 STIA translati Eph. II. 6. & cum COELESTI-
 BUS in unam redacti Summam Eph. I. 10. Heb.
 XII. 22. 23. fiunt, ut verum DEI genus Act.
 XVII. 28. DIVINAE participes nature 2. Pet.
 I. 4. tandemque Deo similes. 1. Joh. III. 1.
 Huc emphatica BOETHII Lib. III. de Conso-
 latione Philosophie Prosa X. p. 80. aurigantur
 verba: Nam quoniam Beatitudinis adeptione
 fiunt homines beati, Beatitudo vero est ipsa Divi-
 nitas divinitatis adeptione fieri beatos, manife-
 stum est. Sed uti Justitie, adeptione Juste, Sapien-
 tie sapientes fiunt, ita divinitatem adeptos, DEOS
 fieri, simili ratione necesse est. Omnis igitur bea-
 tus Deus, sed natura quidem unus, participatione
 vero nihil prohibet esse quamplurimos.

II. Ad Summum *Honoris & Dignitatis* erecti fastigium NOVO insigniebantur NOMINE, quod olim de *Persarum & hodie Abyssinorum REGIBUS* tradit J. H. URSINUS *Anal. Sacr.* Part. II. Lib. III. Loco III. Conf. SUE-
TONIUM in *Vita Domitiani* Cap. 15. referentem: *Hunc Cesarem Flavii Clementis Patruelis sui filios, etiam tum parvulos, successores palam destinatos, abolito PRIORE NOMINE, alterum VESPASIANUM appellari jussisse, alterum DOMITIANUM.* Eodem more Pharao Necho *Ægyptius Eliakimum*, quem Judæis constituit *Regem*, vocavit JOJAKIMUM. 2. Reg. XXIII. 35. & Nebucadnezar *Babylonius Matthaniam*, creatum itidem *Regem*, appellavit ZIDEKIAM. 2. Reg. XXIV. 17.

Fideles revera REGUM superbiunt titulo Apoc. I. 6. V. 10. ut REGALE *Sacerdotium.* 1. Pet. II. 9. & in gloriæ statu aureis fulgent coronis Apoc. IV. 4. &c. quæ SENECAE *Thyest.* Pl. 532 REGIÆ sunt *notæ capitis.*

III. SERVIS NOVA à *novis Heris* imponebantur NOMINA; Vel à regione, vel à colore, vel alia qualitate. Consule *Servorum* nomina apud PLAUTUM, TERENCE-
UM, &c. Et inspice ROUS *Archeolog. Atticam* Lib. V. Cap. V. p. 428. Forte & hinc Daniel cum sociis captivis NOVA accepisse NOMINA Dan. I. 7. censerì possit.

Fideles SERVI sunt *Altissimi.* Dan. III. 26. & *Christi* Gal. VI. 6. non peccatis Rom. VI. 6. &

Concupiscentiis Tit. III. 3. Sed *Deo vivo* Heb. IX. 14. in *Spiritu* SERVIENTES Phil. III. 3. unde & à *Jehova* NOVUM accipiunt NOMEN. *Jes.* LXV. 15.

IV. LIBERTI & *manumissi* (utar verbis *Doct. NIEUPORTII* *Antiq. Rom. Compend. Sect. IV. Cap. V. p. m. 310.*) *pristinorum Dominorum PRAENOMINA & NOMINA* assumebant, quibus *COGNOMINIS* loco antiquum suum *NOMEN* adjiciebant: Sic *Tiro*, à *M. Tullio Cicerone* libertate donatus, dictus est *Marcus Tullius Tiro*. *Eutychedes*, *T. Cecilli Attici Servus*, *T. Cecilius Eutychedes*. Labet de posteriori verba ipsius *CICERONIS* (à *NIEUPORTIO* in notis allegati) appingere ex *Epist. 14. Lib. IV. ad Pomponium Atticum*: *De Eutychede gratum, qui VETERE PRÆNOMINE, NOVO MOMINE, T. erit Cecilius, ut est ex me & ex te junctus Dionysius M. Pomponius.*

Regeniti summa in emphasi sunt *LIBERI*, nam quos *Filius LIBEROS* facit, illi sunt *LIBERI*. *Joh. V III. 36. LIBERI* à *Lege peccati & mortis* *Rom. V III. 2.* ut & *Ceremoniali Gal. V. 1. 13.* *Fidelis* enim ut huc illud *MARTIALIS* *Lib. II. Epigr. 53.* traham:

LIBERIOR Partho vivere Rege potest.
Non vero, *veluti velamen malitia, habens LIBERTATEM*, sed ut *Servus Dei*. *1. Pet. II. 16.* conf. omnino *1. Cor. VII. 22.* Unde *SENECA* *de Vita beata C. XV. in fine: DEO PARERE LIBERTAS: Et Sacerdos Isis ad APULEJUM.*

JUM. Metam. Lib. XI. p. m. 249 *Cum cœperis DEÆ SERVIRE, tunc magis senties fructum tuæ LIBERTATIS.*

V. Qui CIVITATEM Romanam consequentur, (exscribo iterum verba laudati NIEU-POORTII.) eorum, quorum beneficio vel auxilio in civitatem venerant, PRÆNOMEN assumebant, NOMINIBUS suis PRISTINIS vero pro COGNOMINIBUS utebantur, Ut C. Valerius Cabburra à C. Valerio Flacco CIVITATE donatus: A. Lutatius Diodorus beneficio A. Lutatii Catuli CIVITATEM affecutus.

Fideles, CONCIVES sanctorum Ephes II. 19. ΠΟΛΙΤΕΥΜΑ habent in cœlis. Phil. III. 20. quod non, cum Tribuno illo militum Romano, magno acquisiverunt sumptu Act. XXII. 28. sed à Deo donatum & CIVITATEM sibi paratam norunt. Heb. XI. 16.

VI. Quandoque ab AMICIS familiares NOVUM acceperunt NOMEN, quare Junius ab amicitia C. Gracchi appellatus est GRACCHANUS teste PLINIO Hist. Nat. Lib. XXXIII. Cap. 2.

Pii sunt, cum Abrahamo, ΦΙΛΟΙ Θεῶν. Jes. XLI. 8. Jac. II. 23. conf. Luc. XII. 4. Joh. XV. 14. ὁ μὲν εὐσεβὴς ΦΙΛΟΣ Θεῶν, ex sententia MAXIMI TYRII Dissert. IV. p. 25. Et ex mente DIOGENIS CYNICI apud LAERTIUM Lib. VI. in ejus vita: ΦΙΛΟΙ οἱ σοφοὶ τοῖς Θεοῖς.

VII. ADOPTATI ab adoptante NOVA mutuabant NOMINA: Ita Octavianus Augustus

stus à Julio Cesare adoptatus dictus est CÆSAR, narrante Dione. Et Sergius Galba Imperator, à Noverca sua Livia Ocellina adoptatus LIVII NOMEN & OCELLI assumpsit COGNOMEN, memorante SUETONIO in ejus vita Cap. 4. Simili pacto & Pharaonis filia MOSI indidit nomen. Exod. II. 10.

Fideles antea FILII IRÆ Eph. II. 3. & Diaboli I. Joh. III. 10. per ΤΙΘΘΕΣΙΑΝ Gal. IV. 5. &c. sunt positi inter FILIOS Dei Jer. III. 39. qua ratione & Magnus ille Apollus, COCCIJUS ad Apoc. II. 17. NOVUM NOMEN est nomen filii adoptivi.

VIII. A Qualitatibus extraordinariis quidam NOVUM sortiti sunt NOMEN; E. G. à SAPIENTIA, Josephus, ZOPHNATH PAA-NEACH, Revelator arcanorum nuncupatus est Gen. XLI. 45. à ZELO insigni Jacobus & Johannes, Zebedæi filii, nominati BOANERGES ἱσθι βαουθς. Marc. III. 17. Alii alias ob causas alia adepti sunt nomina.

Credentes non carnis 2. Cor. I. 22. vel mundi, sed Dei. I. Cor. I. 19. &c. SAPIENTIA, quæ desuper est Jac. III. 15. 17. sunt inelyti: ZELOTÆ in bonis operibus Tit. II. 14. & exercent, ut PLUTARCHI usurpem verba, ΖΗΛΟΝ καλων έργων pro domo & honore Dei ad exemplum Pinebazi, Elia, Christi &c.

IX. Quam maxime vero VICTORIBUS NOVA tribuantur NOMINA, ut & Jacob, Class. VII. Fasc. V. Ppp post

post *Victoriam à Fæderis Angelo* reportatam, dictus est ISRAEL. Gen. XXXII. 28. Desumebantur autem hæc nomina

1. à *Populis & regionibus* devictis, unde in *Inscriptionibus, Nummis & alibi*, ASIATICI, ARMENII, AFRICANI, ADIABENICI, GERMANICI, GOTHICI, PARTHICI, SARMATICI &c. occurrunt.

2. ab *Urbibus* occupatis: Sic *Valerius Maximus*, MESSANA Urbe Siciliæ nobilissima capta, MESSALA cognominatus est, notante MACROBIO *Saturnal. Lib. I. Cap. VI. pag. 200.*

3. ab *Hoste* quodam interfecto: ita *Mercurius* ab Argo ΑΡΓΕΙΦΟΝΤΗΣ, *Minerva* à *Pallante* Gigante occiso PALLAS appellata fingitur.

4. à certo & memorabili *facto* vel *portento*: Unde cognomina TORQUATI, CORVINI, SCÆVOLÆ &c. in *Historiis* notissima sunt.

5. à genere *Certaminum*, in quibus laurea præripiebatur, orta sunt nomina OLYMPIONICI, PYTHIONICI &c.

6. à *proverbio*: quale *Tremellius Scrofa* apud M. TER. VARRONEM de *Re Rustica* Lib. II. Cap. 4. refert: *Avus meus* primum appellatus est SCROFA, qui *Questor* cum esset *Licio Nerva* *Pratori* in *Macedonia* *Provincia* *relictus*, qui *præisset* *exercitui*, dum *Prator* *rediret*,
hostes

hostes arbitrati, occasionem se habere victoria, impressionem facere coeperunt in castra. Avus cum cohortaretur milites, ut caperent arma atque exirent contra, dixit: Celeriter se illos (ut Scrofa porcos) disjecturum; Id quod fecit, nam eo praelio hostes ita fudit, ac fugavit, ut eo Nerva Prator Imperator sit appellatus, avus **COGNOMEN** invenerit, ut diceretur **SCROFA**.

Fideles, Mali Rom. X II. 21. Mundi. 1. Joh. V. 4. Bestia. Apoc. XV. 2. & Satane Apoc. II. 22. sunt **VICTORES**, & hinc **NOVUM** illis conceditur **NOMEN** Apoc. II. 17. quod uberius demonstrare jam non vacat.

GUILIELMI Landgravii
HASSIAE ad CARO-
LUM GUSTAVUM,
Sueciae Regem Epi-
stola.

Serenissime atque Poten-
tissime Rex,
Domine Confanguinee admo-
dum colende.

PAstores, jurati & incolæ sex locorum
& ecclesiarum Reformatarum Duca-
tus Bremensis in vicis *Lebe* (a) *Dep-
statt*, *Holselen*, *Bederkese*, *Ringstett* & *Flö-
gel* haut ita pridem ad nos literas de-
derunt dolenter significantes, non ab ali-
quo solum tempore minaces auditas voces

Re-

(a) Hi vici fuerant ditionis reipublicae Bremensis.
Sed per tractatus pacis Regi Sueciae relictæ. Ex
hac epistola cognoscitur, quantam illa cessione
religio Reformata in illis locis mutationem passa
sit. In gratiam *Conditorum Alphabeti Calvinistici* il-
la heic locum invenit. Dolendum verum est, eo
inter Christianos rem redactam esse, ut, *si jus vio-
landum sit, religionis causa violandum* esse judice-
tur. T. d. H.

Reformatam religionem sibi ereptum, & contra aliam dictis in locis introductum iiii, sed & minas istas duabus in Ecclesiis executioni jam datas, periculumque subesse, ne idem effectus reliquis in locis subsequatur: se quidem supplicibus libellis quam plurimis R. Maj. vestrae Regimen, quod Stadæ est, sæpius interpellasse, & per vulnera Christi oravisse, quo exercitium prædictæ Reformatæ Religionis ultra tempus immemorabile ibidem receptum, sibi sartum tectum relinquatur, permittaturque, juxta instrumenti pacis Westphalicæ artic. 7. tenerem in locum pastorum demortuorum alios eidem Reformatæ Religionis addictos vocare, sed frustra hætenus. Quin contra M. HAVEMANUM, Superintendentem Generalem Stadensem reapte duos Pastores suæ Religionis Vicis Deptstätt & Flögell renitentibus obtrusisse, eosque non obstante expressa Ecclesiarum protestatione, se aliam quam Reformatam Religionem amplecti nolle, solenniter introduxisse, inter quos & filius præmemorati Superintendentis, quem Ecclesiæ Flögel reluctanti præfecerit, remoto prius ejusdem Ministro Reformato, qui jam per quadriennium eidem cum applausu, nec sine ædificatione inservierat. Inde se in vicum Lehe contulisse, atque illic quoque rem novam aggressum Pastori Reformato adhuc viventi, & vegeto, ac in munere suo

suo diligenti alium insuper & quidem suæ confessionis adungere voluisse? Nos humillime rogantes, ut apud R. Vestram Majestatem intercedere in animum induceremus, quo præfatum Reformatæ Religionis exercitium in ante memoratis sex ecclesiis sibi absque impedimento integrum relinquatur, quæ contra facta sunt, rursus abrogentur, facultas denique & licentia nunc & in posterum Pastores suæ Religionis vocandi sibi intacta servetur.

Hanc petitionem, Rex serenissime & potentissime, ita comparatam esse arbitramur, ut plane non dubitemus Regiam Majestatem Vestram quam æquitatis & Justitiæ novimus vindicem, ei etiam nobis silentibus delaturam fuisse, maxime cum plenissime nobis persuasum habeamus omnia ista, de quibus sex isti Reformati Coetus queruntur, præter Majestatis Vestræ voluntatem facta fuisse. Quoniam tamen supplices hæ Ecclesiæ literas nostras intercessorias haut parum sibi utiles fore quin aliquid, idque non leve apud Majestatem Vestram momentum habituras crediderunt, eadem & nos fiducia ipsis, imprimis in causa tam favorabili deesse non sustinemus. Adeoque Regiam Vestram Majestatem observanter & enixe perrogamus, & obsecramus, ut dicto Superintendenti Staden- si novitates istas inhibere, sed istis ecclesiis in summo nunc luctu constitutis benigna vul-
tus

tus sui serenitate affulgere, atque perquam humillimæ earum petitioni, quam & instrumenti pacis consentaneam putamus, clementissime annuere dignetur. Quo ipso Regia Vestra Majestas rem faciet per se æquam & laudabilem & se dignam, & nos quoque hanc, quam sæpe memoratis Ecclesiis faciet gratiam, omni porro cultu & observantia vicissim studebimus demereri, quam cum toto Regno divinæ protectioni jugiter commendamus. Dabamus Cassellis 3. Maj. 1660.

GUILIELMUS Hasfiæ
Landgravius.



Ad fugam vacui.

XI.

Epigrammatum biga.

A.

DUm quondam (a) cupidis mihi lustrabatur
ocellis

Egrediis splendens Bibliotheca libris,
Quos, sibi sumentes à JESU nomina Patres
Legere ad (b) Rheni littora laeta suis,
Quaero forte; adsuntne libri, quos edidi
olim

Docta, sed a Latiiis turba aliena sacris?

Ln

(a) A. 1704. (b) Coloniae Ubiorum.

En tibi theca libris, quos quæris, plena, GE-
HENNAE

Ast cui nomen, ait, triste dedere Patres.
Ergone, respondi, in sacris penetralibus istis,
Docte Pater, Stygii cernitur aula Ducis?
Limen ubi tetrum rigidi calcatur Averni,
Non procul atrati Daemones esse solent.

B.

In sedem vacantem Romae a. 1721.
Dum divi, ut perhibent, Petri vacat inclyta
sedes

Exspectant Papam (c) è Relligione bona.
Papa bona, mirum! de Relligione, quid hoc est?
Si Papa est, non de Relligione bona est!

T. d. H.

(c) Secundum vaticinium, quod putatur, Malachiae
Hiberni.

Quaestio.

Eusebius in H. Eccl. L. II. c. 23. ex Egesip-
po narrat Jacobum Apostolum, fratrem Do-
mini, interrogatum *πῶς ἢ διεξ ἡμεῶν* regessisse,
ἵνα τὸν εἰρηναῖον σὺν ἡμεῶν. Quid sibi vult ea Ju-
dzorum sciscitatio, & quomodo ad il-
lam talis dari potuit re-
sponso?

